DE FAME.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHYSIOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

RATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI,

UT SUMMI

MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR,

DIE VIII. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXVIII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RD. GUIL. ADOLPH. KINDSCHER,

FRISTADIENSIS.

OPPONENTIBUS:

D. RIEGLING, MED. ET CHIR. DR.,
H. BONORDEN, MED. ET CHIR. DR.,
J. FLEISCHHAMMER, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,

LITERIS AUGUSTI PETSCHII.

PARENTIBUS OPTIMIS

HANC DISSERTATIONEM

PIETATIS DOCUMENTUM

OFFERT

AUCTOR.

I. QUID SIT FAMES?

Inter omnes certe constat, perpetuam, quam corpus animale subit, materiae commutationem ad ejus peculiarem naturam pertinere. Trita enim atque inutilia corpus eliminat, denuo vero accepta sibi assimilat, quibus vitam sanitatemque servet. Ad summam a naturae providentia stabilitam senectutem organismus animalis perducitur, nisi qua vi illata vel totus vel singulae suae partes jam prius actione sanitateque orbantur. Per hoc omne temporis spatium vero materiam mutari videmus, donec usque organorum, quibus constituitur, vi vitali languescente vires deminuantur. Tum haec organa, sibi ipsis crescentibus et efflorescentibus dissimilia, nutrimenta sibi assumere et digerere, et, eo ipso ad legi naturae organicae principali obediendum imparia, vires rursum per materiam reficere nequeunt. Vicissim igitur viribus et materia sensim sensimque exhaustis, organa invalida consumuntur, et simul cum actione totius corporis animalis deminuta temporis momentum huic appropinquat, quo per se ipsum consistere nequit, atque singulae partes ejus constitutivae chemiae legibus obtemperantes in regnum anorganicum transeunt. Mors naturalis marasmo senili evenit.

Corpus vero animale per totam vitam eo in universum materiem jugiter mutat, quod per summam cutem, organa respirationis, tubum intestinalem, vias uriniferas aliasque excretiones aliquid emovet, atque hoc ex aliis substantiis, denuo et ore praecipue receptis, deinde restituit. In ventriculum atque tractum intestinorum alimenta descendunt, ibique praeparata proprii vasorum systematis ope organismo magis assimilantur. Illis fluidis partes

quoque corporis ipsius per vasa resorptae junguntur, quae mixta in vasorum sanguiferorum systema transvehuntur. In sanguinem mutata humoris hujus cardinalis partem, formationi et nutritioni singulorum corporis organorum impensam, supplent. Et organa semper sanguine resarciri necesse esse, jam eo elucet, quod viis modo relatis trita atque inutilia expellunt.

Hoc modo saltem plurimis et praesertim ordinum superiorum animalibus alimenta concoquuntur et assimilantur, et corpus restituitur. Valde quidem ab his differunt, quae simpliciorem organisationem habent animalia, ita ut organorum assumtionis, assimilationis et excretionis structura et non minus functionibus exercendis quam maxime peculiaria sint. Nihilominus vero simplicissima animalis nutritio quatuor haec stadia percurrit [1]): assumtionis, assimilationis et assimilati distributionis postremumque inutilis materiae excretionis.

Peculiari vero sensu a natura praeditus est organismus, quo refectione vel alimentorum assumtione se indigere admonetur, ne corporis conservationis obliviscatur. Qui sensus propriam coenaestheseos speciem sistit, quae a necessitate oritur materiei organicae, qua organismus conservetur, supplendae. Fames, si non expletur, ingratum sensum, contra si tollitur, voluptatem affert. Vehementer sui ipsius conservationem admonet, atque voluptati satietatem conjungens, quam semel perceptam homines et animalia deinde semper iterum petunt, custodem atque fidelissimum vitae tutorem se praebet.

Hunc sensum, si tantum gradu minori percipimus, appetitum, appetentiam, appetitionem, *ὄρεξιν*, *ὄρεξιαν* appellamus; qui tamen non semper a vera ciborum indigentia originem capit, quam potius ex palati cupidine, saepius certum quendam cibum liguriente. Cujus vero causam saepissime nervorum affectus morbosi, graviditas, vel voluptatis ex sapore captae reminiscentia per visum vel olfactum aut imaginationem solam rursus excitata, suppeditant.

---

[1]) *Treviranus* Biologie. Götting. 1814. IV. Bd. p. 293.

Solida et fluida alimenta corpori animali necessaria sunt. Sensum, qui priorum assumtionem majori cum impetu flagitat, famem, esuritionem, esuriem, esuriginem, jejunium, jejunitatem, et graece πειναν, λιμον vocamus. Defectu fluidorum in corpore sensus autem oritur, quem sitin aut dipsam appellant. Utroque sensu conamina gignuntur, ut corpori alimenta, quibus caret, ingerantur: quorum tandem vehementiam et phaenomena simultanea observata serius describam.

In foetu ratio, qua corporis partes commutantur, valde ab illa adultorum differt. Prioribus temporibus non ore nutrimenta recipit, et quia alio modo nutritur, ventriculi actio et concoctio desunt. Postremum foetus humanus, spiritum non ducens, amnii liquoris pauxillum quidem devorat, quod, aliquo modo digestum, bili et muco intestinorum spissiori junctum meconium, post pastum ex alvo ducendum, componit. Id vero hisce duabus partibus praeprimis consistere, et absque liquore amnii e bilis copia in tractum intestinalem hominum et animalium ingesta produci posse, et chemiae scrutationes probant, atque meconii in acephalis et monstris, oris vel narium apertura destitutis, praesentia, absentia vero in illis, ubi hepar defuit. Partes igitur oeconomiae animali inutiles excerni, atque jecur loco pulmonum, alias multum exhalantium sanguinis mixtionem ad nutritionem aptam servare intelligimus [1]).

Quod vero assumtionem et assimilationem novorum alimentorum attinet, hae mihi a sanguinis quadam mutatione, matris viribus producta, dependere videntur. Quae, sine voluntate et continuo perfectae, nobis facile aperire possunt, foetum propriis digestionis organis non vigentibus, sensu, quo ad corpus restaurandum impellatur, non egere. Equidem etiam sensum illum, vegetativam tantum vitam degentem percipere non posse, censeo.

In pullo vero, per se ipsum vivente et modo nato, statim hic sensus apparet; ille, ab organismo

---

[1]) *Tiedemann* und *Gmelin*, die Verdauung nach Versuchen. Heidelberg und Leipzig, 1827. 2ter Bd. p. 57. 58.

materno segregatus, adultorum ad instar materiam mutat, corruptam expellit, atque deinde, ventriculo agente, alimenta ad restaurationem exposcit; quae denique sine ulla disciplina ab initio instinctu solo quaerere et sumere incitatur [1].

Finem, quem petit, et auxilia, quibus eum assequatur, ignorans neonatus ex voluntate actiones, quarum sibi conscius, peragit ad saturationem, finem, me hercle! certissimum, perficiendam. Quod omnino autem probat, illum instinctu tantum moveri. Tandem animalia et homines quidem, non hoc solo impulsi, vario modo ad satietatem assequendam agunt, cum finem ejusque auxilia cognoverint. Et paucis tantum admoneam, quod animalia etiam, gustu atque olfactu magis evolutis, nec non cibis cognitis, ita iisdem potiri student, ut conamina illa partim e libera voluntate, non autem mere ab instinctu oriri, facile eluceat [2]. Inter animalium et hominum agendi viam, ab instinctu elicitam atque animae facultatibus mutatam et ad finem perductam, magnum tamen interest discrimen. Homo rerum externarum conditiones mutat, et hac de causa perfectibilitate gaudet [3]. Rationis ope cibi genus eligit, vario modo praeparat, atque ex omnium terrarum partium, quibus scatent, alimentis, divites delicias ad prandia componenda, et palatum oblectandum congerunt, cum simplicissimus, saepius quidem corpori aptior, victus pauperum famem compescere sufficiat. E contrario etiam homines sua sponte edendi tempora sibi statuere, naturae nutrimenta exigenti abnuere, jejunare, quin etiam ex toto alimenta sibi detrahere possunt, ut vel totius corporis interitus ipse sequeretur. Nam vitam organismi integram servari non posse, nisi partibus depravatis expulsis, deinde vero restitutis, jam proposui. Quod ex plurium hominum, qui sua sponte alimentis et vita se privarunt, interitu constat.

---

1) *Treviranus*, l. c. V. Bd. Götting. 1818. p. 430.

2) *J. A. Unzer:* Erste Gründe einer Physiologie der eigentlichen thierischen Natur thierischer Körper. Leipzig, 1771. §. 300.

3) *Treviranus*, l. c. V. p. 435.

Animalia vero per instinctum semper ad eundem a natura definitum victum impelluntur. Aequali modo illo fruuntur, et hoc sensu urgente impetum, ut homo liber, moderare atque regere ex toto nequeunt.

II. QUA RATIONE FAMES MUTETUR?

Quum consumtio partium corporis jugiter continuetur, et in zoophytis ipsis, quibus hoc nutritionis stadium, ut multi putare possint, non deest, inutilium excretio per summam cutem et organa respirationis perduret [1]), attamen famis sensum tantum periodicum deprehendimus. Fames sedata per longius vel brevius spatium desinit, et uti partes corporis crudae atque vitiatae semper progressu temporis evehuntur, simili modo etiam sensus, qui corpus reficiendum esse, nos commonet, ad tempus certum revertitur.

In plurimis saltem et praeprimis ordinum superiorum animalibus sicut in homine res ita se habet. Satiatis ciborum assumtionem interrumpi videmus, donec usque ingesta concocta sint. Insecta vero plura, erucae praecipue, pasci non desinunt, atque singulas Illustr. *Trevirani* [2]) observationes omittere hic nequeo, quippe qui vidit Planorbem purpuram et Buccinum palustre os continuo ad pastum detrudendum aperire et claudere, alterum vero, longioribus temporis spatiis interpositis, sic ut omni tempore, a cibi necessitate impulsa haec animalia nutrimenta sine voluntate capere, spiritum autem pro voluntate sua trahere et emittere videantur.

Inter homines et animalia singula non minus, quam inter horum genera diversa differentia intercedit quam maxima, pro facultate jejunium et famem vexantem perferre, quibuscum hujus sensus impetum vario tempore reverti cognitum est. Quibus de causis internis et externis haec facultas dependeat, afferre mihi liceat:

a) Primum a vitae tenacitate, qua instructa

---

1) *Treviranus*, l. c. IV. p. 293.

2) l. c. IV. p. 310.

animalia inferiorum ordinum per incredibile tempus nutrimenti defectum ferre possunt. *Hallero* auctore [1]), saepissime per menses plures jejunant. Illustr. *Trevirano* teste [2]), Helix pomatia per sex menses, atque Cel. *O. F. Müller* [3]) auctore, Helix nemoralis et helices capite detruncato per annum alimentis carere potuerunt. Cel. *Macbride* vero scribente, Helices post annos quindecim in aqua surrexisse, et Illustr. *Leeuwenhoeck*, *Spallanzani*, et *Fontana* narrantibus [4]), Vorticellam rotatoriam post duos vel quatuor annos reviviscere, denuo mori, atque tandem iterum ad vitam redire posse, uti Secalis cornuti vibriones microscopicae exsiccatae, quorum existentia dubitanda, nec non *Gordius Linn.* si humectantur, quod *Fontana* et *Home* contendunt, exclamare cogor; si fabula vera! Nam illis animalibus exsiccatis organisationem ex toto destructam esse, itaque ea reviviscere non posse, Illustr. *Rudolphi* [5]) bene docet. Ipsa animalia tantum asphyxia correpta equidem censeo resurgere posse, quod vero in illis exsiccatis et mortuis fieri sane non potuit. Saepissime autem asphyxia longissima oppressa mirum in modum victu carere, et tamen existere possunt. De fame eorum, rigore depulsa, pluria scribam, ubi de quiete, somno, et inprimis somno hiberno, famem auferrentibus tractandum est.

b) Magnum in fame sustinenda quoque interest inter animalia, quibus reproductio praevalet, et ea, quae irritabilitate majori insignia sunt. Nam carnivora longe herbivora hac facultate superant [6]). Classium inferiorum animalia carnivora, ea insectorum deinde, piscium, amphibiorum, avium, mammalium, quae carne vi rapta fruuntur, longissime jejunium

---

[1]) *Haller*, Elementa Physiologiae, T. VI. LXIX. S. 2. §. 5. p. 169.

[2]) l. c. V. p. 271 seq.

[3]) Histor. Vermium. Vol. II. p. XII XXXIV.

[4]) *Treviranus*, l. c. V. p. 272 seq.

[5]) *Rudolphi*, Grundriſs der Physiologie. Berlin, 1821. I. Bd. p. 285. Anmerk. 5.

[6]) *Treviranus*, l. c. IV. p. 310.

perferre possunt [1]), quod Clar. *Lucas* [2]) magna copia observationum de animalibus fame enecatis collectarum, probat. Idem auctor duarum ab ubere matris remotarum canicularum alteram, victu vegetabili nutritam, saepius aliquid sumsisse, quam alteram carne satiatam, majorem copiam vero devorantem, expertus est [3]). Et omnia animalia rapto viventia hoc modo semel quantitatem quam maximam devorare, postea autem absque cibo per longum tempus jejunia esse solent. His ex historia naturali satis cognitis tantum addere velim, *Barrow* [4]) bubuli caput, vitulum integrum, intestinorum et ossium farraginem maximam, testae fragmenta testudinis majoris, in squali ventriculo congesta invenisse. Physeter macrocephalus squalos integros devorare dicitur, et ex serpentium genere Boa constrictor [5]) et multi alii animalia, ipsos magnitudine superantia, detrudunt, et ne lacerata quidem. Sic cuniculum, vix pharyngem transeuntem, serpentem devorasse visum est [6]) atque exstant auctores, vultures [7]) cadaveris tantum absumere, ut cibi copia ingesta agilitatem perdat, et facilius capi et interfici possint. Nec minus etiam gruis voracitas admiratur, qui duas magnas costas bovis cum libris duabus carnis adhaerentis devoravit, atque postea adducto crure per horam dulci somno indulgebat [8]).

c. Non minus, quam e reproductione praevalente, a vegetiori statu organorum atque actionis respirationis, famis intensitatem oriri videmus. Quae vero organa, ex illis, quae reproductioni dicata, ad ea, quae irritabilitati serviunt, transitum facientia et

---

[1]) *Lucas*, über den Hunger etc., in der Zeitschrift für die Anthropologie etc. von *Friedr. Nasse*, 3. Hft. 1826. p. 108.

[2]) l. c. p. 93. seq.

[3]) *Lucas*, l. c. p. 86.

[4]) Reise nach Cochinchina, übersetzt von *Ehrmann*, p. 210.

[5]) *Froriecps* Notizen aus dem Gebiete der Natur- und Heilkunde, 12. Bd. Nr. 18. p. 280.

[6]) ibid. Nr. 4. p. 55.

[7]) l. c.

[8]) *Froriceps* Notizen, 7. Bd. Nr. 18. p. 280.

altiori evolutionis gradu persistentia, vim vitalem insigniorem, atque hac de re consumtionem, nec non materiei corporis commutationem majorem atque celeriorem indicant et efficiunt; qua tandem cibi et refectionis necessitate saepius et vehementius urgente famis sensus frequentior et major excitari debet. Has functiones ita arctissime cohaerere observationes demonstrant, quas Illustr. *Spallanzani* et *Sorg* instituerunt, quippe qui animalia perfecte saturata majorem copiam azoti et acidi carbonici exspirare viderunt, quam quae longa fame emaciata [1]). Argumenta ad respirationis in fame excitanda dignitatem demonstrandam sufficientia singulorum ordinum animalia nobis exhibent, si mollusca [2]) sine aëre per annum et quod excurrit, crustacea et arachnides [3]) per plures menses, insecta vero, *Lucas* duce [4]), per aliquot dies tantum victu carere posse vidimus; deinde si pisces, qui, amphibiis aërem depravatum spirantibus similes, in aqua, oxygenii liberi pauxillum tantum continente vivunt, annum et longius esurire observavimus [5]); aves autem et mammalia, quae ad instar insectorum spiritus ducendi necessitate praecipue premuntur, saepissime inter omnia nutrimentis egere, et celerrime illis detractis interire exspertum habemus. Nam *Lucas* [6]) avem diem vicesimum octavum, et mammale quadragesimum primum non supervixisse scripsit. Si homines per menses annosque victu repudiato vixerint, atque non fraudulentae historiae, ut plerumque, nos fefellerint, alia ratione explicari hoc oportet, de qua serius agam; certe vero respiratio tantum debilis iis erat concessa.

d. Quodsi vero concoctione et nutritione corporis deficientibus famem excitari constat, facile

---

[1]) *Treviranus*, l. c. IV. p. 294 seq.

[2]) *Sorg*, Disquisitiones physiologicae circa respirationem insector. et vermium etc. Rudolstadt. 1805. Sect. II. p. 45.

[3]) *Sorg*, l. c. p. 114.

[4]) *Lucas*, l. c. p. 110.

[5]) *Lucas*, l. c. p. 97 seq.

[6]) l. c. p. 100. 102.

etiam explicare possumus, quomodo alimentorum conditio aut magis aut minus nutrientium illam prius vel serius reverti sinat [1]. Siquidem, quibus partium corpori assimilium plures insunt, eadem copia assumeretur, in longius tempus famem depellet, quam cum parum ad nutriendum valeret. Rationem etiam habere nos oportet, utrum per se ipsa, qualitateve certa instructa, an in formam quandam redacta facilius concoquantur, nec ne. Alimenta igitur viscida, pinguia, parum irritantia, ventriculi succo minus solubilia aegre concoquuntur, et per longum tempus in stomacho remanentia longius etiam famem tollunt [2]; irritantia vero, salia, spirituosa, et aromata illorum decompositioni atque assimilationi faventia famem iterum excitant, et prius reverti permittunt. Fluida concoctu faciliora celerius assimilari possunt, atque in tempus tantum brevius satiant. Famem quoque, quae ad certum tempus exsurgit, parva tantum, sed brevi antequam edere consuevimus, assumta copia nutrimenti jam tolli satis cognitum est; sic ut famem coenam exposcentem prandii deliciis compescere ingratissimum sit. Quod potu, praecipue nutrienti, simili modo effici scimus.

Praeter alimenta consumta potus spirituosorum famem etiam auferre valet. Potatores fere semper alimentorum solidorum parum vesci solent, et ebriositati indulgentibus potus desideria augeri cibique deminui observatum est [3]. Inedia vero et sitis non sublatae in spirituosorum desiderium mutari posse videntur: sic ut homo spiritum vini, quem nunquam ingerebat, deinde sumat [4].

Et jam meram aquam epotam inediae cruciatus per sitim extinctam lenivisse, prodit e Cel.

---

[1]) *Adair's* physiologische und diätetische Schriften. Aus d. Engl. übersetzt von *Michaelis*, 2. Theil, Zittau und Leipzig, 1791. p. 138.

[2]) *Hufeland*, System der practischen Heilkunde, 1ster Bd. Jena, 1818. p. 401.

[3]) *Brühl Cramer*, über die Trunksucht. Berlin, 1819. p. 15.

[3]) *Brühl Cramer*, l. c.

Redi experimentis in caponibus institutis, quorum, qui sitim expleverant, alios supervixere [1]; deinde ex Illustr. *Halleri* [1]) experientia, et exemplo hominis usque ad diem vicesimum quartum per solos duos modulos germanicos aquae quotidie sumtos, conservati [3].

Optime nunc enumerantur medicamina, quae ad famem augendam vel minuendam aliquid conferunt. Jam *Hallerus* cremorem tartari, limonum succum, acida igitur vegetabilia, famem incitare edicit [4], atque experientia nos edocuit, medicamenta amara et tonica idem praestare. Quae organorum incitatione concoctionem promovent, et partibus restaurantibus in corpus translatis hoc stomachumque [5] firmant, qui igitur vi vitali adaucta famis sensum validius expromere debet. Dosi majori in ventriculum immissa, incitatione nimia, vomitum atque alvi dejectiones ciunt [6], et sicut vomitoria atque nauseosa: ipecacuanhae radix, tartarus stibiatus, vitriolus albus et coeruleus etc. etc. esuriem tollunt [7].

Quod vero alia remedia attinet, experimentis cognovimus, a Clar. *Dumas* institutis, Camphoram, mercurium sublimatum corrosivum, medicamina tonica, spirituosa, et aquam frigidam esuriem extinguere; olea vero, emulsiones, aquamque egelidam hanc vim brevi tantum exserere et appetitum deminuere [8]. Aquae vero potum inediam semper re-

---

1) ***Franc. Redi,*** nobil. Aretini opusc. pars tertia, sive de animalibus viris quae in corporibus animalium vivorum reperiuntur, observationes. Lugd. Batav. 1729. p. 138.

2) ***Haller,*** l. c. p. 176.

3) ***Osiander,*** über den Selbstmord. Hannover 1813. p. 176.

4) l. c. p. 184.

5) *C. Sprengel,* institut. pharmacologicae. Lips. et Altenburgii, 1816. p. 265.

6) *A. F. Hecker's* practische Arzneimittellehre. Wien, 1819. I. Bd. p. 144. 145.

7) *Wilson Philip,* über Indigestion und deren Folgen. Leipzig, 1823. p. 87.

8) *C. L. Dumas,* von den Ursachen des Hungers und Durstes. In der Sammlung auserlesener Abhandlungen zum Gebrauch practischer Aerzte. Leipzig, 1803. 21. B. 3. St. p. 162 seq.

pellere vidimus, et libenter *Hallero* credo, enuncianti: hunc et olea, quibus partes nutrientes insunt, involventia sensibilitatem nervorum ventriculi minuere et ita ad instar narcoticorum, opii, nicotianae, cicutae et plumbi ipsius famem reprimere [1]). Ciborum desiderium destrui addit per omne putridum, sive cum cibo sit ingestum, sive intus ab ulcere, et praecipue hepatis, inspiratum; et cum nauseam famem tollere adjecerit, idem putrida praestare per nervorum affectionem, per nauseam, censeo. Per tabacum solum nautas viatoresque aliquamdiu vitam sustentasse, idque Canadae incolas adjecta aqua per hebdomadas aliquot fecisse; et, qui Floridam colunt, per nicotianae fumum quoque famem sitimque sedavisse, *Stalpart van der Wiel* scripsit [2]). Jure etiam *Schurigius* [3]) contendit, omnes, qui tabaco assueverunt, appetitum minorem vel plane abolitum habere, narratque, nautas per septimanam unam aut duas vitam tabaci usu sustinuisse; et Indos asserere, se pilulis, e partibus aequalibus conchyliarum ustarum et foliorum nicotianae formatis, et siccatis, cibo et potu deficiente inter labrum inferius et dentes repositis, liquorem assidue exsorbere, ut ita per tridui aut quatridui peregrinationem neque famis neque sitis sibi molesta sit. Opii quoque vel minima dosi famem vexantem exstingui auctor *Charvet* [4]) adnotat, qui alio loco [5]) monet, opii aliquid post cibum assumtum hujus concoctionem impedire, qui immutatus, brevius vel longius in stomacho retentus, iterum ejiciatur.

Quae famem depellere valent rebus, mineralia quaedam adnumerari solent, quae quamvis ad cor-

---

[1]) l. c. p. 186. 187.

[2]) Observ. rar. Cent. poster. Obs. 15. Schol. p. m. 163.

[3]) *Schurigii* Chylologia historico-medica. Dresdae, 1725. p. 177.

[4]) *Charvet*, die Wirkung des Opiums und seiner constituirenden Bestandtheile auf die thierische Oeconomie. A. d. Französ. Leipzig, 1827. In den Allgem. medic. Annalen etc. von Dr. *F. F. Pierer*, 11 Hft. 1827. p. 1492.

[5]) l. c. p. 1486.

pus reficiendum, uti multi credunt, minime apta sint, attamen sensum tollere dicuntur. Quem vero auferri vel ipsa quidem causa remota non sublata imminui posse, facile credendum. Nam saepius etiam ingratissimum sensum eodem modo cura symptomatica sedatum videmus, quamquam impedimento istius nervorum actionis demto, revertitur. Sic Illustr. *Treviranus* [1]) animalium plurium, quorum stomachus et intestina anorganicis rebus expleta fuerint, mentionem facit. Commemorat, Clarissimum *Pallas*, in intestinis lumbrici echiuri semper arenam tantum subtilem invenisse, ideoque putare, lumbricum illum et vermes marinos innumerabiles, nereides, serpulas, et lumbricos etc. mera terra pingui nutriri. Et enarrat Cel. *Bonnetum*, lumbricorum intestina terra impleta reperientem, observasse, has celerius partes abscissas regenerare, quam qui aqua pura nutriuntur. Sic etiam Illustr. *Reaumur* tipularum plurium larvas sola terra ali, et Cel. *Bory de St. Vincent* multis in Pyrosomis atlanticis arenam invenisse defendunt. Quaeritur ergo, valeantne hae anorganicae partes corpus animalium alere atque igitur re vera satietatem efficere, an affectione tantum nervorum famis sensum compescere? Animalium vero stomachum lapides durissimos solvere, Cel. *Platner* probat observatione in gallina instituta, quae quarto jam die quartam onychis devorati partem consumtam ostendebat [2]). Ex Illustr. *Tiedemann* et *Gmelin* [3]) experimentis etiam apparet, ventriculi tunicam mucosam succum, acida libera continentem, secernere, qui vero majorem copiam acidorum habuit, ubi duri lapides stomachum irritaverunt [4]). Illustr. *Reaumur* [5]) et *Spallanzani* [6]) et ipsius Illustr. *Tiedemann* [7]) observatio-

[1]) l. c. IV. p. 284.

[2]) *Treviranus*, l. c. IV. p. 287.

[3]) l. c. I. Bd. p. 150.

[4]) l. c. I. Bd. p. 144.

[5]) Memoires de l'academie des sciences. 1752. p. 461.

[6]) Versuche über das Verdauungsgeschäft des Menschen und verschiedener Thierarten, nebst einigen Bemerkungen des Herrn *v. Senebier*. Uebers. von *Michaelis*. Leipzig, 1785. p. 367 seq.

[7]) l. c. I. Bd. p. 298.

vationibus porro elucet, succum gastricum ingesta chemica ratione prius vel serius, prout molliora vel duriora sint, resolvere. Quod hominum quorundam exempla quoque demonstrant. Sic *Cummings* nauta quidam, cultros saepius et plures devoravit, quorum pluribus ejectis, pluribus tamen haerentibus tandem mortuus est. Manubria cornea cultrorum ventriculi vi resoluta disparuerant, atque laminarum plurium reliquiae mirum in modum corrosae et imminutae, aliae vero laminae bene conservatae deprehendebantur [1]). In alius cujusdam cultros devorantis ventriculo manubrium osseum, et laminae partem maximam solutam animadverterunt [2]). Alienissimas igitur partes corpus infringere, solvere et sibi assimilare videtur, quibus argumentis, ipsum anorganicis quoque ali famemque destrui, defendere possumus. Quam thesin non minus hominum gens quaedam, terra argillacea nutrita, munit. Jam *Gumilla* [3]) Americae meridionalis gentis mentionem fecit, quam Illustr. *a Humboldt* [4]) forsan ad flumen Orinoko habitantem terramque edentem, denuo reperit. Illa gens, quae Ottomaken audit, per tres menses flumine accreto, rarissime lacertam, vel piscem, vel filicis radicem capiens, terra quadem argillacea ex flavo grisea et pingui mera assumta nutritur, cujus tostae atque madefactae, sine ulla pinguedine admista, quotidie librae tres partes per hos menses, reliqua anni parte vero non tantam copiam, largiori etiam facto piscatu semper vero aliquid edunt. Quo victu non macrescunt, non ventre duro vel tumente laborant, sed potius robusti integra sanitate gaudent [5]). Quam vero terrae mollis, pinguis, valde olentis cupidinem apud omnes, zonam terrae torridam habitantes, homines Illustr. *a Humboldt* se observasse asserit; non omnium regionum Americae

---

[1]) *Frorieps* Notizen aus dem Gebiete der Natur und Heilkunde, 3. Bd. Nr. 54. p. 145.

[2]) ibid. 6. Bd. Nr. 16. p. 256.

[3]) Hist. nat. de l'Orinoque, p. 271. 282.

[4]) Ansichten der Natur. Tübingen, 1808. I. Bd. p. 142.

[5]) *Frorieps* Notizen etc., 16. Bd. Nr. 7. p. 101.

vero terram bene et facile concoqui posse, sed cibi desiderium tollere, valetudinemque adversam efficere addit. Quod nec incolas Jamaicae, aethiopes raptos nescire etiam Illustr. *Hunter* [1]) descripsit, quo auctore illorum servorum, qui ibi nomine dirt-eater vocati, in insula mortuos in patria resurrecturos esse credunt, quotannis dimidia pars morbo hoc pulvere excitato saepius post decem dies, menses, vel tandem annos pereat. Quam perniciosam consuetudinem capita mortuorum detruncata tantum coercere potuerint, cum servi se ita mutilatos in patria sua non revivere sibi persuasum habeant. In graviditate feminae Javae insulae, ut macrescant, argillae tostae edunt globulos [2]). Et postremum nostris in regionibus femina observata est, morbo graviori vexata, ex cretae magna copia ventriculi acoris causa sensim sensimque assumta.

Contrario autem nostra in Germania qui in fodina montis Kyffhausen saxa arenaria tractant, pani instar butyri argillam tenuem illinunt, quam lapidum butyrum vocantes satiantem et concoctu facilem putant [3]). Superest, ut gentes alias, quae mineraliis vescuntur, quoque afferam. Ad flumen Magdalenae habitantes feminas sine noxia luti frusta devorare vidit Illustr. *a Humboldt*, et aethiopes, Guineae littora incolentes, flavescentem terram comedere confirmat [4]). Tempore difficultatis annonae novae Caledoniae incolae ope talci ollaris friabilis, atque mollis virescentis steatitae, quo ipse *J. Golberry* sine molestia pro victu utebatur, famem mitigare student [5]). Illum ex magnesia, terra silicea, et cupro oxydato compositum esse, hunc, teste *Vauquelin* [6]), easdem partes constitutivas, nec non ferri et aquae pauxillum continere, constat. Peruani et indiani cur-

---

[1]) Bemerkungen über die Krankheiten der Truppen in Jamaica. A. d. Englisch. Leipzig, 1792. p. 234.

[2]) *Frorieps* Notizen, l. c. p. 102.

[3]) *Frorieps* Notizen, l. c. p. 102.

[4]) ibid. p. 101.

[5]) ibid. p. 102.

[6]) Bulletin des sc. de la Soc. philomath. An. X. Nr. 55.

sores per totum diem calcariam pulveratam adjectis foliis Erythroxyli Cocae ad famem restinguendam sumunt; et Guajirones in meridionali America sola calcaria eundem in finem utuntur. Argilla tenuis cum arena mixta pro deliciis habetur Quitonibus. Regionibus orientalibus terris lemniis, atque Sibiriae populi, auctore *Cochrane*, lapidum butyro quodam vescuntur [1].

His singulis non negandis quidem observationibus accuratius perpensis, argumenta quaedam, quae contra illas ipsas loquuntur, adjungere velim, et proxime ea referam, quae Illustr. *Treviranus* jamjam protulit. Quum nempe hic nos edocuerit, arenam in ventriculo solo, non autem in intestinis, assimilatione jam facta, repertam demonstrare posse corpus anorganicis nutriri [2]; hisce in terris devoratis tamen organica elementa nutrientia abscondita fuisse probabiliter conjici potest, quibus concoquendo absorptis arenam, ad nutriendum inaptam tandem expulsam esse. Et veritate non abhorret, humum aquae similem esse, cujus partibus mucilaginosis, ex organicorum corporum residuis extractis, Illustr. *a Humboldt* [3] in fluminibus nec non in maribus pisces vivere credit. Humi ipsius praecipuum elementum, Germanis Moder nominatum, Ulminum, quod carboneo et oxygenio magna ex parte componitur, hydrogenio et azotico saepius, sed copia tantum minori, gaudet, simili modo, uti partes organicae, e quibus colliguntur [4], et hac de re continet, quibus organismus ali possit. Si lumbrici in humo viventes, et eo assumto nutriti, vitam degere posse videntur, hoc argumentum etiam probaret, eos consueto modo famem depellere; per alimenta saltem, organicis quam maxime proxima. Qui hortos colunt observarunt, quod equidem affirmare possum, lumbricos in hortis saepe omnium plantarum radiculas

---

[1]) *Froriep's* Notizen, l. c. p. 102.

[2]) l. c. IV. p. 286. 287.

[3]) *Schweiggers* Journal, 1. Bd.

[4]) *Schubarth*, Lehrbuch der theoretischen Chemie. Berlin, 1827. p. 527.

plumulasque corrodere, et plantas servari non posse, nisi omnibus istis hostibus effosis atque remotis; quod igitur horum animalculorum nutrimentum organicum defenderet, et testimonium daret, terras tantum, victu alio deficiente, vel forsan ad concoctionem promovendam, vel fortuitu absumere.

Porro de animalibus aliis ab Illustr. *Treviranō* [1]) scriptum legimus, horum quoque in intestinis vel excrementis arenam sese reperisse. Quod quidem ab his, alio et meliori victu nutritis, simul aliquid arenae devoratum fuisse probare tantum videtur. Nam alias Julus terrestris, Limax cinereus, Helix pomatia, Ornithorynchus hystrix etc. quorum in faecibus arena inveniebatur, organicis alimentis vivunt et satiantur. Jam *Hallerus* [2]) memoriae prodidit, inediae tempore lupum esurientem lutum, lignum, lapidesque devorare; Cervos tarandos, atque Capreolos Sibiriae, nec non Crocodilum, argillam vel steatitam ingerere, eademque esca venatores in ripis fluminum Jenisey et Amoär animalia capienda illicere, etiam cognovimus [3]). Scavias porcellos, cuniculos, columbasque faeces, et ligni assulas a pariete arreptas comedisse *Lucas* affirmat [4]). Lignum vero organicis adnumerandum in ventriculo solvi posse, facile e prioribus elucet; faecibusque saepe inesse partes quasdam non digestas, quae iterum devoratae viliorem et exiguum victum praebeant, mihi concedendum esse, credo. Quodsi ad hominum nutrimentum ex argilla respiciamus, addere velim, hoc non solo nutritos pingui tantum terra peculiari uti posse, ne morbo graventur, et verisimile organicarum rerum paululum sumunt, nisi illa terra nutrimenti aliquid contineat: e. g. folia plantarum etc. Ad concoctionem finiendam aethiopici servi luto quoque frui videntur, cum spirituosis deficientibus luti cupidinem augeri observatum

---

[1]) l. c. IV. p. 285.

[2]) l. c. T. VI. p. 182.

[3]) *Frorieps* Notizen, l. c. p. 102.

[4]) l. c. p. 91.

sit [1]. Ita quoque *Harveyus* [2] credit, gallinaceas hunc ad finem praecipue arenam consumere, ut insecta et grana attererent, quod ut mihi videtur, veritati respondet. Et aves carnivorae lapides excipiunt [3], qui autem, cum ventriculus illis sit mere carnosus, concoctionem adjuvare non possunt. Compertum mihi etiam est, gallinas, quibus grana optima largiuntur, nihilominus lutum arenamque, ipsarum in cavis dispersam, libentissime petere et glutire; arena de industria remota vero pabuli cupido imminui, et cibus corpora minus augere videtur. Quam igitur non famem explere, sed potius digestioni favere contendere possumus.

Mammalia, nec non aves rapaces, ex inedia vel voracitate lapides devorantes, tamen emaciant, et sic macilenta, ventriculo anorganicis repleto, semper petunt meliorem organicum victum, istudque pabulum addere eoque satiari student. Qua de causa intelligi etiam non potest, quomodo homines anorganicis non nutrientibus expleti, bene valere et robustiores fieri possint.

Meris anorganicis corpus animale vivere, satiari, et fame liberari posse, denique his omnibus observationibus satis elucere non credo. Cum ipse Illustr. *Treviranus* [4] verum esse dubitet, et ventriculum quandam tantum mineralium copiam resolvere posse putet, illustr. auctores mihi dubia illa ignoscere velle, iterum iterumque peto. Sin vero sincera observatione constaret, animalia quaedam nil nisi inorganica sumere iisque famem depellere, potius crederem, plerumque illis partim solutis et assimilatis, alimentorum igitur modo, hoc perficere, quam mera affectione nervorum, cujus rei verisimilitatem ventriculi succi vis solvens confirmare videtur. Haec vero nervorum affectio ad solutionem forsan accedit, et eadem non sufficiente, cum ea conjuncta magis ad satietatem prodest. Quod, quamquam rarius

---

1) *Frorieps* Notizen, l. c. p. 102.

2) De generat. animal. Exerc. 6.

3) *Haller*, l. c. VI. p. 269. 214.

4) l. c. IV. p. 286 seq.

contingere videtur, ex toto tamen negari non potest, nam supra jam scripsi, nervorum sensum, permanente causa, sopiri posse; cur famis sensus vero aliter se haberet? cum a priori etiam concludere liceat, nervos stomachi alimentis et ingestis aliis quodammodo affici, atque eorum sensilitatem mutari. Hoc modo lupis, apris, avibus carnivoris famem fugare mihi videntur lapides durissimi ab illis devorati, nisi solvantur; et si hominum fames sola terra insolubili expleri possit, nervorum sensu quodam modo sopito, id effici aeque putarem.

e. Praeter haec ingesta, sunt aliae quaedam externae conditiones, quae concoctioni et fami revertendae magis minusve favent, temperies, coelum, nec non anni tempora. Sub temperiei imperium animalium ordines ita redactos intelleximus, ut, qui sanguinem frigidum habent, mediocri calori coquendi et digerendi facultatem vix servent, itaque fame liberentur. Sic polyporum concoctionem majori calore duodecima hora, minori vero tertio vel quarto tandem die finitam, *Trembley* [1]) observavit. Tropicis regionibus apricisque locis insectorum stomachus concoquere continuat, hyeme vero, organis torpentibus, fames cessat [2]). Quod idem probatur lacertis, carunculas vermesque, brevi ante somnum hybernum devoratos, verno tempore fere immutatos evomentibus [3]); atque Illustr. *Spallanzani* auctore [4]), serpentibus mense frigidiori Aprilis tardius quam calore Julii vigente cibum digerentibus; nec non, qui Parisiis observati, Pythonibus Amethystis [5]). Erinaceum tandem, cujus ventris calor a tricesimo usque ad nonagesimum gradum augebatur, bufonem

---

[1]) Abhandlungen zur Geschichte einer Polypenart des süfsen Wassers mit hörnerförmigen Armen. Uebers. von *F. E. A. Göze*. Quedlinburg, 1775. p. 160.

[2]) *Home*, Lectures on comparative anatomy. London, 1814. Vol. I. p. 320.

[3]) *Hunter*, Bemerkungen über die thierische Oeconomie. Uebers. von *Scheller*. Braunschweig, 1813. p. 231.

[4]) l. c. p. 125.

[5]) *Frorieps* Notizen etc., 5. Bd. Nr. 3. p. 33.

comedere vidit *Jenner* [1]). Eodem modo nocturnis, subterraneis, somno hyberno oppressis animalibus ipsis ordinis altioris, nec minus hominibus frigus vehemens famem aufert; cui argumentum *Duncan* feminam usque ad octavum diem sub nive sepultam, secundo vero famis jam expertem, refert [2]). Frigore nervi, in organa praecipue digestionis agere impediuntur, corpusque igitur torpens et vita minima tantum gaudens, longius victu carere potest.

Frigoris gradum minorem, quum respirationis organorum actionem incitet, famem augere constat. Pulmonibus aërem frigidum, oxygene scatentem, puriorem et excitantem spirantibus, circulatio et partium commutatio acceleratur. Itaque hyeme, et qui septentrionem versus habitant [3]), magis fames vexat, quam, qui meridiem spectant. Hyeme et vere liberalius edere, *Hippocrates* [4]) et *Celsus* [5]) jure jam praescripsere.

De concoctione Mexicanorum, jam tertia hora finita, narrat *Adair* [6]). Nimium vero calorem concoquendi facultatem et famem minuere, etiam observatum est. Sic aestate nimia repletio saepius faciliusque quam hyeme morbos movet, uti jam *Hippocrates* dixit [7]).

f. Vario tempore et modo, esuries motis vel quiescentibus corporibus redit; motu aucta, quiete impedita apparet. Rustici, plebeji, et omnes, corpus intendere consueti, molestius inediam ferunt, quam homines, vel vitam voluptuosam, sedentariam, otiosamque degentes, vel cubantes. Cujus rei testes et *Celsus* [8]), et *Hippocrates* [9]) et recentioribus tem-

---

[1]) *Hunter* l. c.

[2]) Annals of medicine for the year 1799. Vol. IV. p. 50.

[3]) *Haller*, l. c. T. VI. p. 184.

[4]) Aphorism. Sect. I. aph. 15.

[5]) *A. C. Celsi*, libri octo de medicina, ed. *Krause*, lib. I. cap. 3. p. 33.

[6]) l. c. 1ster Theil p. 186.

[7]) l. c. aphor. 18.

[8]) l. c. p. 28.

[9]) l. c. Sect. II. aph. 16.

poribus *Hallerus* [1]), existunt, causa vero in tardiori elementorum corporis mutatione, circuitu sanguinis et respiratione per motum non acceleratis quaeratur, necesse est. Quiete ac somno fames non percipitur, die vero saepius, et vigiliis ipsis cibus assumendus est. Animalia, stupore hiberni somni rigentia, nullum cibum capiunt [2]), dum expergefacta alacriora tamdiu esurire nequeunt. Animalibus, quae talem asphyxiam pati possunt, jam relatis, helicibus, lacertis etc. breviter quaedam adjungam, quae, illa devicta, vitae tenacitatem maximam jejuniumque longissimum ostendunt. Sic Illustr. *Rudolphi* [3]) de intestinorum vermibus congelatis, aqua iterum liquefacta, resurrectis spripsit, atque [4]) Pallas, Cyprinum Carassium in lacubus sibiricis, hyeme gelu clausis, vere autem solutis tamen revivere se observasse, narrat. Nec minus hac asphyxia testudines, salamandros, ranas, bufones, serpentes, crocodilos, insecta, vermes, ex avibus forsan hirundines, mammalium multa, marmotas, cricetos, glires, erinaceum, vespertiliones, ex parte melem et ursum, inter hyemem teneri posse, idem auctor nobis monstravit [5]). Qui vitam minimam viventes, cibi nihil ingerunt, rarissime spirant, atque pulsus tardiores offerunt, adipe denique proprio nutriuntur [6]). Quo exiguo alimento, cum rarius corporis materia mutetur, servare se possunt, et fame non vexantur.

g. Vitae aetates, pro inedia ferenda, etiam valde differunt, sic ut animalia crescentia saepius nutrimentis et horum majori copia, quam adulta, egeant, et aetate increscente fames decrescat. Qui adolescunt [7]), saepius esuriunt, adultis hominibus vero duodecima hora post cibum saltem cibi de-

---

[1]) l. c. T. VI. p. 175. 183.

[2]) *Cuvier*, Vorlesungen über vergleichende Anatomie, Uebers. von *J. F. Meckel*. Leipzig, 1810. 3. Theil p. 641. 716.

[3]) Hist. Entoz. II. 1. p. 62 obs. 3.

[4]) Grundriſs der Physiologie, I. Bd. p. 176.

[5]) ibid. p. 284. 285. Anmkg. 1 — 5.

[6]) ibid. p. 282. 283.

[7]) *G. E. Stahl*, theor. ver. med. etc. Halae, 1708. p. 220.

siderium revertitur [1]. Si *Hippocrates* senes facillime jejunium ferre dixit [2], *Galenus* sententiam bene coërcet [3], contendens, de iis, qui ad extremam senectam pervenere, non recte dictum esse, cui quoque *Celsus* assentit [4]. Omnes vero in eo conveniunt, quod mediae aetates facillime, minus juvenes, minimeque pueri, longas inedias tolerare possunt.

Canicula, matris uberibus erepta, *Morgagni* auctore [5], tertium tantum, veteres autem tricesimum, ipsum quadragesimum inediae diem, *Lucas* [6] teste, attigerunt. Qui ulterior scriptor etiam nobis tradidit, Sciurum vulgarem aetate trium mensium dies duos et dimidium, alterum vero, annum natum, tres dies esuriendo superasse; deinde memoriae servavit, passerem dierum decem ad horam decimam sextam, aetate provectiorem autem ad vicesimam septimam, adultum tandem usque ad diem tertium jejunasse [7].

Quod etiam de hominibus veteres scriptores affirmant, nam, ut de familiae *Hugolini*, comitis, internecione fabulosa taceam [8], et ab Attici septuagenarii exemplo, qui, morbo ac senectute confectus, diem quintum tantum adsecutus est [9], recedam, hanc sententiam aliis fame vexatis comprobatam ostendam. Sic *Sextius Baculus*, ad quintum jam diem cibo carens, tamen arma cepit, proeliumque

---

1) *Prochaska*, Lehrsätze aus der Physiologie des Menschen. Wien, 1810. 2. Bd. p. 67.

2) Aphor. Sect. I. aph. 13.

3) *Cl. Galeni*, in aph. *Hippocrat.* Libr. VII., quos nuper illustravit *J. M. Rota* T. VI. Basiliae, 1542.

4) l. c. .p 32.

5) *J. B. Morgagni*, de sedib. et caus. morbor. per anatomen indagatis. Libr. V. T. II. Ebrodun. in Helvet., 1779. Epist. XXVIII. 5. p. 78.

6) l. c. p. 102.

7) l. c. p. 100 seq.

8) *Morgagni*, l. c. epist. 28. §. 7. p. 79.

9) *Cornelii Nepotis*, vitae excell. imperator. Marburg, 1799 p. 171.

paulisper sustinuit [1]: et *Tiberius* post inediam quatuor dierum confestim ad Ostiam descendit [2]. Ex observationibus *Schurigii* [3], aliisque ab *Hallero* collatis [4] et a *Lucas* adjectis historiis hominum fame vexatorum [5], facilius prodit, semper aetate provectiores fuisse, qui longam inediam sustinuerunt. E contrario, *Feiler* teste [6], puer ad quintum tantum diem, puella quindecim annorum ad undecimum vero famem supervixit. Neonatum per octo dies absque cibo vixisse [7], ratione alia explicari debet, et sententiam nostram minime refellit.

Qui vero extremam senectutem consecuti, homines, inediam facillime ferre posse, rarissimeque fame urgeri, *Rush* [8] omnino negat, quum exemplo famoso *Parrii*, ultimis vitae temporibus multum edentis, confirmare studeat, senibus cibi cupidinem augeri. Equidem ipse plures senes bene se habentes et validos cognovi, quibus saepius et vehementius fames redit. Infantibus similes, cibum quoque lenem sumere plerumque amant, tamen solidum potius fluido, pueris grato, praeferunt, atque cibi tempora difficilius servant. Sic vero senum corpus deliciis ultimis oblectari et sustentare benigna natura studet.

h. Ab aetatis nunc ad sexus discrimen transeuntes, feminas viris saepius esurire, expertum habemus. *Moreau* [9] igitur credit illas, parum cibi assumentes, celeriterque coquentes, famem frequenter, tamen minus vehementer sentire, inediamque

---

1) *C. J. Caesaris*, Commentarii de bello gallico etc. Norinbergae, 1812. Pars 1. Lib. VI. cap. 38. p. 185.

2) *Suetonii*, Tranquilli Opera: Halae, 1811. Tib. Nero Caesar. cap. X. p. 98.

3) l. c. p. 179 seq.

4) l. c. T. VI. p. 171 seq.

5) l. c. p. 103 seq.

6) Diätetik, p. 108.

7) Med. chir. Transact. 2. p. 54.

8) *B. Rush*, neue medicinische Untersuchungen und Beobachtungen. A. d. Engl. von *Michaelis*. Nurnberg, 1797. p. 287.

9) Dictionnaire des scienc. medical., T. IV. p. 172.

immo diutius quam viros ferre. Reproductio praecipue vigens, eas infantibus similes reddit, tamen earundem plures, ut quoque alias, doloribus acerrimis cruciantibus quam maxime renitentes, longissimum jejunium pati posse, constat. *Hallerus* [1]) jam dicit: universa historia medica a primis temporibus plena est hominum, sed potissimum feminarum, quae mensibus integris, demum annis absque cibo vixerunt. Vitam autem minorem, sudoris, urinae, faecum secretionibus, nervorumque actionibus suppressis vel alienatis, degerunt, cubuerunt et aquae prolixe usae sunt [2]). Feminae, de quibus jejunantibus *Lucas* scripsit, perdiu lectulo affixae tenebantur, aquam biberunt, gravidae fuere, vel convulsionibus et morbis inprimis ventriculi, pharyngis, aut secretionibus suppressis laboraverunt [3]). Quaedam sub nive abscondita asphyxia premebatur [4]). Commutatio corporis elementorum rarissima, cui etiam respiratio minor et rarior favebat, atque nervorum actio impedita vel vita exigua, his in feminis quoque causam inediae longissimae constituit. Cel. *Dumas* referente, feminae fuere plerumque, quae per longissimum tempus famem sustentarunt; viris praeprimis morbum illum, qui polyphagia audit, *Moreau* adscribit [5]).

i. Corpora valida ac robusta [6]), inprimis virorum, cum vi vitali vegetiori elementa corporis saepius mutentur, cibo frequentiori ac densiori egent. His igitur fames saepe et vehemens redux observatur. Quae saepe macra, et fibris densis instructa, homines graciles, tenues et sensibiles, vel corpora laxa in fame sustinenda antecedunt.

Quam ob causam homines temperamento discrepantes et fame percipienda valde differunt.

Hominibus, phlegmatica temperie, irritabilitate

---

[1]) l. c. T. VI. p. 171.

[2]) ibid. p. 175. 176.

[3]) l. c. p. 103 seq.

[4]) *Duncan* in den Annals of medic. etc., p. 50.

[5]) Dict. des scienc. médicales, T. IV. p. 172.

[6]) *Lucas*, l. c. p. 85.

et sensilitate hebetioribus, reproductione mala et prava praeditis, gulae intemperantiam observari licet [1]); eo magis quo minus superiores corporis facultates inferiores devincunt, quod cretinismo laborantium voracitas demonstrat [2]).

Temperiei sanguineae magna et perpetua appetitio est, quia, vitae actionibus acceleratis, corpus celerius et frequentius consumatur, necesse est [3]). Inconstantia tamen ut omnium sensuum, ita etiam appetitus, modo itaque concitatus iterum evanescit.

Cholerica vero temperie reproductio sensibilitatem et irritabilitatem aequiparare, quin immo superare videtur; eaque de causa magis regularem appetitionem et digestionem non contemnendam [4]) illis hominibus non deesse videmus, sic ut facilius quoque inediam patiantur.

Homines, melancholica denique temperie praediti, animi facultatibus alias, praecipue digestionis, superantibus, insignes sunt. Reproductionis vi tantum exili atque ejus necessitudine raro sese manifestante, exiguam etiam famem rarissime sentiunt, facile ejus obliviscantur animi intentionibus addicti, sic ut multo longius, quam alii inediam perferre queant. Quae vero omnia morbo melancholico oppressis, eorumque inedia saepe longissima mirum in modum firmantur [5]).

Animum ceteroquin famem moderare praecipue illius affectus ostendunt [6]). Subito autem et nimis excitantes vel deprimentes illam auferre valent; uti ira, gaudium, terror et timor, tristes nuntii etc. Qui non nimis, continuo vero excitant, sunt amor, laudes assecutae, gloria, gaudiolum, sensus odoribus

---

[1]) Semiotice physiologicam et pathologicam generalem complexa conscr. *C. G. Gruner.* Halae Magdeburgic., 1775. p. 32.

[2]) *Clefs* in *Meckels* deutsch. Archiv für Physiologie, 5. Bd. 1. Hft. p. 67 seq.

[3]) *Gruner*, l. c. p. 31.

[4]) ibid. p. 32.

[5]) *Rust's* Magazin, 19. Bd. 2. St. p. 299.

[6]) *Hoppe*, disquisitio physiologica de fame. Berolini, 1820. p. 12. 13.

ac ciborum sapore oblectati etc. His vero vim vitalem et famem augentibus contraria, alia pathemata continuoa nimum deprimunt, et haec, ut curae, sollicitudines, anxietas, moeror, desiderium vehemens [1]), res et imaginationes, quae nauseam ciunt, animi cogitationes et labores, praecipue per vigilias continuati, famem et vitam deminuunt. Qui largi somni sunt, quorumque multum quiescentium mens fere semper torpet, rarius famem sentiunt. Animum ad corpus sanum servandum, justo modo agere oportere facilius his perspici potest. Et *Stahlium* [2]) de fame animi intentionibus reprimenda praestantissime scribentem, legens, tantum adjungam, eum bene monuisse, homines famem satiantes menti otiosae aliquid, quo vires exerceat, dare; dicit nempe: inter homines, utriusque etiam sexus, notissimum est, quod etiam ipso otio esuriant, et edere gestiant, tanquam in supplementum consuetorum laborum, ne nihil agant.

l. Fames, ad tempus definitum redire consueta, hac ratione mutari potest [3]), ut prius vel serius cibi appetentia percipiatur. Expletus, vel saltem deminutus sensus proximo cibandi tempore revertitur [4]), varioque modo vehementius vel lenius, pro assumtorum copia consueta, urget. Quae cibi tempora et alimentorum cupiditatis necessitudo autem voluntario jam nutrimentis, vario modo ac tempore assumtis, mutari possunt. Alteri igitur, majorem victus copiam accipientes, alteri minorem, vivunt. Stomachus nec non intestina, alimentis nimis repleta, extenduntur; ampliorem longioremque intestinorum tractum domesticorum animalium Illustr. *Cuvier* vidit [5]); et hoc tractu, ampliori quam in feris, bene explicandum est, cur animalia nostra mansuefacta fortius esurientia saepius nutrimento egeant.

---

[1]) *Haller*, l. c. T. VI. p. 187.

[2]) l. c. p. 219.

[3]) *Adair*, l. c. 2ter Theil p. 278.

[4]) *Rudolphi's* Grundrifs etc., 2. Bd. 2. Abthlg. Berlin, 1828. p. 6.

[5]) *Cuvier*, Vorlesungen etc., l. c. p. 449.

Haec enim organa dilatata atque membranis densis et validioribus musculis insignia, et in hominibus praecipue invenimus, qui voraces cultros, nummos, et alias res difficillime solvendas detrusere, quod historiis supra allatis, nec non alia a *Beaude* [1]) descripta cognosci potest. Vim consuetudinis, cibi cupidinem ac necessitatem quam maxime augere, nostris temporibus gulo ille *Kröcher* [2]), simul pinguedine nimia oppressus, qui quotidie tandem sedecim libras carnis devoravit, atque gens illa borealis (*Yakuten*) probant, e qua tres Cervum tarandum uno prandio consumsere, atque alius uno die quadraginta carnis libras glutire potuit; fluida fere bullientia, nauseam omnium promoventia, immo intestinorum contenta non repudiant hi homines. Infantem inter illos candelas plures sebaceas, plures butyri congelati libras, magnum saponis flavi frustum ingerere viatores observavere, dicentem: fas esse, omnem escam comedere, ne quid corrumpatur [3]). Quibus similes, qui Esquimaux, et Africae meridionalis incolae, qui *Bosjesmann's* vocantur, voracitate excellunt [4]).

m. Nec minus fames, quae sub imperio consuetudinis est, ab antagonismo regitur. Sic esuries deminuitur, organis aliis, inprimis sexualibus incitatis [5]). Organa digestionis, sexualibus structura et functione quam maxime affinia, corpus servant atque semper denuo regenerant. Sexualibus vero partibus speciem omnem tueri et iterum gigni, itaque organa similia proxima affinitate secum conjuncta esse, non solum ratione formationis, quam potius facultatis Illustr. *Meckel* [6]) uberius pertractavit. Eo concludere licet, alteris organis agendis altera vacare, quia affinia antagonismo moderantur; et experien-

---

[1]) *Horns* Archiv für medic. Erfahrung, 1826. Hft. 5. p. 326.

[2]) Journal der Chirurgie und Augenheilkunde, herausgegeben von *v. Graefe* und *v. Walther*, 1826. 9. Bd. 3 Hft. p. 367.

[3]) *Frorieps* Notizen, 7. Bd. Nr. 16. p. 246.

[4]) ibid. und Nr. 7. p. 108.

[5]) *J. F. Meckel*, Beiträge zur vergleichenden Anatomie, 2. Bd. 2. Hft. p. 47. 48.

[6]) ibid.

tia huic opinioni plane favet. Excessu in venere appetitio tollitur, et contra concubitu rariori augetur. Erucae voraces fere insatiabiles sunt, papiliones factae, coitum tantum petentes, fere nihil edunt [1]). Cetacea tempore coeundi adipe corporis solo nutriuntur [2]). Eodem tempore cameli, cervi, ipsa domestica nostra animalia pabulo exiguo assumto macrescunt. Homines pubescentes, ipsasque feminas, quibus menstrua proveniunt, minus quam alio tempore fame vexari, experientia docuit [3]). *Hoppe* refert, medicum vidisse ferocissimi venerei oestri insultus, cum fame vehementi alternantes [4]). Quae omnia antagonismum satis affirmant. Animi facultates superiores evolutae et praepollentes, famem mitigare jam supra diximus.

n. Cel. *Gaubio* teste [5]), edendi cupiditas valde diversa in sanis, multifariam quoque per morbos laborat. Augetur enim praeter modum, dicit auctor, in bulimo, fame canina, lupina; imminuitur aut plane aboletur in *δύσορεξια, ανορεξία, αποσιτία*: depravatur in *κιττα*, pica, malacia, etc. sic ut sensus per se naturales, fames sitisque, vehementia ac ratione praeternaturali mutati, signa morbi varia se exhibere possint.

Morbi vero, qui esuriem mutare valent, non tantum febriles, sed etiam chronici, universum corpus ac singulas partes praeter alias aggredientes hic recensendi sunt. In febribus, inflammationibus gravioribus, doloribus et nervorum affectibus, itaque praeprimis in mentis morbis, melancholia, mania, hysteria, catalepsia homines, pauxillum modo vel nihil assumentes, jam longissime conservati sunt, quorum perplurima exempla *Schurigius* enumeravit [6]). Historiis horum jejunantium aegrotorum ab *Hallero*

---

1) *Lyonnet* traité, p. 19.

2) *Treviranus*, l. c. IV. p. 507.

3) *Lucas*, l. c. p. 87.

4) *Hoppe*, l. c. p. 12.

5) Institutiones pathologiae medicinalis. Norimberg, 1787. §. 786 seq.

6) l. c. p. 179 seq.

deinde allatis[1]) *Lucas* plures e nostris quoque temporibus adjecit[2]), de quibus fere omnibus dici potest, animam naturae allectationes per surda organa non audivisse, cum nervi sentiendi facultate caruerint. Saepius secretiones suppressae tali inediae longae favebant, et quies et cubitus protractus, quae vitam minorem indicant. Morbis, quibus singula pars praecipue corrumpitur, laesiones adnumerandae sunt cerebri, cujus actione imminuta famem evanescere observatum est. Nec minus jecinoris, lienis et ventriculi mala, ejusque organica vitia, et secretorum aberrationes, uti succi gastrici, vel pituitae, vel bilis, qui aut nimia aut minori copia profluunt[3]).

Aquam et aërem, immo solum aërem corpus aegrotum aliquamdiu sustinere posse, Illustr. *Hufeland* asserit[4]), si quoque debilitas, macies, atque organorum destructio sequuntur. Quod famis sane abolitionem magnam indicat.

His vero malis famem extinguentibus, adjici debent, quibus augetur. Peculiari ventriculo intestinisque congenita structura jam huc referenda. Feminarum stomachum minorem atque longiorem, intestinis tenuibus fere aequantem, Illustr. *Meckel* et *Sömmering* deprehenderunt[5]). In femina, semper bulimo vexata, nullum ventriculum, ejusque loco duodenum tantum paululum dilatatum vidit *Löwenwald*[6]), et Illustr. *Meckel* addit, hoc ipsum stomachi vestigium prius hac in muliere forsan plane defuisse[7]). *Cabrol*[8]) intestinorum quadragenarii cujusdam voracis tractum ad literae S. formam tantum volutum et palmas quatuor modo longum, sed justo amplius a ventriculo pyloro non destinctum, usque ad anum recta

---

[1]) l. c. T. VI. p. 171 seq.

[2]) l. c. p. 104 seq.

[3]) *Lucas*, l. c. p. 83.

[4]) l. c. p. 383.

[5]) *Meckel*, Handbuch der pathologischen Anatomie. 1812. 1. Bd. p. 508. 509.

[6]) Misc. ph. med. Dec. II. a. 2. p. 124.

[7]) *Meckel*, l. c.

[8]) ibid. p. 519.

recta fere via descendentem descripsit. *Dionis* [1]) hominem vidit fere semper esurientem et edentem, qui, necessitudine coactus, ipsa nocte paravit, quae edere possit, cujusque stomachus etiam via recta ad anum tendit. *Bellot* [2]) tractum intestinorum, vix quidem ventris longitudinem adaequantem et simplicissimum, in homine observavit, quem fame vehementissima cruciatum, statim ingesta per alvum dejecisse, quin integro vervice assumto brevi tempore tantum satiatum fuisse, narrat. *Blasius* [3]) infimum oesophagum invenit in sano, valde vero voraci homine, amplissimum inter cor et diaphragma descendentem, ut paene ventriculum alterum, cujus extremae partes coarctatae, exhibuerit. Praeterea Illustr. *Meckel* auctor est, hominum voracum stomachum nonnunquam tantum ampliorem, saepius etiam membranis densatis musculisque validioribus insignem, nec non inflammatum vel etiam exulceratum observari [4]). Famem eorum, quibus ductus choledochus bilem in ventriculum mittit [5]), vel pylorus laxus hiat [6]), aut quorum ventriculo pediculi insunt [7]), increscere, quibus vero induratione et scirrho pylorus coarctatur, deminui [8]) facile explicari potest.

Aliis vero morbis, e. g. viscerum physconia, tabe mesenterica, helminthiasi, soda, ruptura tandem ductus thoracici [9]) etc. famem augeri, satis ab experientia medicorum probatur. Non semper ventriculi stricturae convulsiones, atque vomituritiones movent [10]), et, incredibile fere dictu, jam ex toto destructum ventriculum post mortem viderunt, qui

---

[1]) ibid. [2]) ibid.

[3]) ibid. p. 515.

[4]) *Meckel*, l. c. 2. Bd. 1. Abthlg. p. 288. 289.

[5]) *Bonet* sepulc., l. 5. S. II. observ. 6.

[6]) *Haller*, l. c. T. VI. p. 184. — *Horns* Arch. etc., 1826. 5. Hft. p. 326.

[7]) *Bonet*, l. c. observ. 1. — *Morgagni*, l. c. p. 76.

[8]) *Horns* Archiv etc., 1826. 4. Hft. p. 119.

[9]) *Morton* im Dict. des scienc. médicales, T. XIV. p. 423.

[10]) *Meckel*, l. c. 1. Bd. p. 514.

nullo cujuscunque mali symptomate inter vitam morbum prodiderat. Sic Clar. *Dieffenbach* morbum ventriculi organicum post mortem, loco ovarii destructi suspicati, invenit [1]).

Quamdiu animalia hominesque ciborum abstinentiam, usque ad interitum ipsum protractam, perferre valeant, quibusque ex causis dependeat, cur fames, prius vel serius, mitius vel vehementius, redeat? quaestiones difficillimae responsu. Attamen, ut mihi videtur, jure supponitur, non semper et non omnibus certum positum esse tempus, nec non unicam tantum causam exstare, qua famis vehementia oriatur, sed potius necesse esse singulas res, accuratius et una comprehensas, perpendamus et disquiramus, quibus inedia aut mitior aut gravior reddatur, temporis spatium augeatur vel deminuatur, et quibus tandem corpus aptius evadat, ut destructioni ex fame exortae magis minusve reniti possit.

III. QVO LOCO FAMES PERCIPIATUR, QUIBUSQUE CAUSIS EXCITETUR?

Siquidem omnibus corporis, non omnino integri, partibus nutrimentum deest, atque simul cum illo defectu, qui remotam famis causam sistit, animi nec non corporis virium debilitas percipitur, certum tamen est, nos hunc sensum, ubique minime sparsum, ad unum tantum locum referre.

Famis sensum vero in regione ventriculi observari, non minus mutationibus, quas ulterior hic, cum sensu afficiatur, perpetitur, probabile fit. Quod jam rosionis sensus, vel borborygmi, vel nausea, regione cardiaca percepta, probant; de quonam sensu ejusque loco jamjam *Hallerus* [2]) scripsit: sensus est ingratus, dolorisque genus acrius et quasi lacerans, in solo quidem ventriculo. Quod vero ad mutationes ventriculi pertinet, de ejus tunicae musculosae contractione sermonem fieri oportet, qua parie-

---

[1]) *Rust's* Magazin, 25. Bd. 3. Hft.

[2]) l. c. T. VI. p. 182.

tes condensantur, cellulosa et mucosa membrana vario modo, ut introrsum procedant, plicantur, tunicarum ipsarum denique vascula sanguifera coarctantur et sinuantur, quod etiam de nervis parum contractis, nec minus de vasis, inter laminas omentorum nunc magis expansorum, dispositis [1]) valet. Contractus vero ventriculus figuram situmque mutat, ut superior ejus superficies anterior fiat, duodenumque intestinum ad stomachum parum appropinquetur et attrahatur; tandemque venter complanetur [2]). Simul cum his nervorum papilli et folliculi mucosi eriguntur, et tument; ventriculi cavum autem impletur saliva initio devorata, aëre exhalato, vel bile hepatico aliquantulo ingesto, quae omnia demum inedia perdurante removentur [3]). In equorum et canum esurientium ventriculis nihil nisi guttulas quasdam humoris limpidi paululum turbidi, adjectis muci aliquot flocculis reperiebant [4]).

His vero sani esurientis ventriculi mutationibus recensitis, superest, nonnulla addamus de stomachi morbis, quibus saepius fames ex toto aufertur, saltem deminuitur, aut etiam augetur; denique vero remediorum et alimentorum, famem destruentium et excitantium, primum in stomachum agentium mentionem faciamus, quae omnia ventriculum famem persentiscere confirmant.

In solo ventriculo, per nervos omnibus corporis partibus juncto, famem praecipue sentiri, et illum, digerentium organorum, ut ita dicam, caput, inter omnia causam hujus sensus animadvertere putamus [5]). Quibus igitur de causis famis locum in ventriculo ponendum censemus.

Mucus in intestinis, minori copia secretus, probat tantum, hisce primum deesse quod secernatur. Appetitionem vermibus, infima intestina habitantibus, sympathica quadam irritatione augeri vel de-

---

[1]) *Tiedemann* und *Gmelin*, l. c. 1ster Bd. p. 143.

[2]) Dict. des scienc. médicales, T. IX. p. 364.

[3]) ibid. — *Lucas*, l. c. p. 78. 79.

[4]) *Tiedemann* und *Gmelin*, l. c. 1ster Bd. p. 143. 144.

[5]) Dict. des scienc. médicales, T. XIV. p. 422.

strui, mihi persuasum habeo. Quae autem, jecur ad famem gignendam aliquid conferre, affirmare videntur, partim morbi sunt ejusdem organi, quibus hunc sensum valde mutari posse constat; partim experimenta a Cel. *Bichat* et *Lucas* [1]) instituta, quae satis efficiunt parvam modo bilis copiam inveniri, si assimilanda ventriculum et intestinum tenue jam transiverint. Cum denique bilis copiam hominibus et animalibus, inedia correptis vel fame enecatis, stagnantem invenierint [2]) forsan probe conjici licet, secretum istud accumulatum ad famis sensum incitandum aliquid conferre, quamvis semel exortum ad hepar non referamus. Pari modo non sentimus famem liene et pancreate, quod inediae tempore majorem succi copiam secernere Cel. *Magendie* contendit [3]), quod vero observationibus a *Lucas* factis non confirmatur [4]). Sic, uti semper, satiati vel esurientes horum organorum actiones et praesentiam percipere nequimus, putamus ipsum quoque ventriculi sensum, quamvis non famem, obscurioribus adnumerandum esse, et tantum jejunio urgente clariorem reddi.

Cum vero defectum partium nutrientium corporis causam famis remotam exhibere contendamus, huic sententiae refocillatio, quam statim post alimentorum assumtionem et antequam corporis elementa suppleverint, sentimus, repugnare videtur. Quam quoque refutare student, dicentes: sanum hominem jam esurire, cum nullae adhuc corpori partes nec vires detractae sint [5]).

Primum vero argumentum repugnandae illi opinioni impar esse videtur, cum *Fohmann* et *Lippi* [6])

---

[1]) l. c. p. 120.

[2]) Vide infra p. 45. — *Tiedemann* und *Gmelin*, l. c. 2. Bd. p. 59.

[3]) Grundrifs der Physiologie, übersetzt von *Heusinger*. Eisenach, 1820. 2ter Theil p. 16.

[4]) l. c. p. 120.

[5]) Dict. des scienc. médicales, T. XIV. p. 422.

[6]) Anatomische Untersuchungen über die Verbindung der Saugadern mit den Venen; von *D. V. Fohmann*. Heidelberg,

experimentis constet, vasa chylifera sanguiferis juncta esse, fluida igitur celerius atque faciiius resorberi et secerni posse, quam antea unquam physiologi crediderint, quia ductu thoracico non recipienda sunt, et per totum corpus cum sanguine, per circulum majorem et minorem sic dictum, moto transire non opus est. Sin vero proprium nutritionis systema, ex arteriis ortum, quod adesse *Lippi* contendit, quoque nos celeriorem subtiliorum partium in organa nutrienda transitum credere facit, facilius etiam explicari potest, quod refocillatio materialis corporis statim post assumtionem efficitur. Quae urinae secretione et excretione celeri etiam probata; et sanguinis transfusionibus, nostris temporibus saepius institutis, quae moribundos momento iterum refocillare, et deinde ad sanitatem perducere dicuntur, non minus affirmata videntur. Itaque per nervorum systema proxime corpus refici, idemque, antequam partium nutrientium copia major in organa transieret, subtilissimis atque diffusibilioribus particulis, simili modo ac aliis incitantibus remediis, jam restitui credere velim. Sic etiam vini tantillum, ore solummodo receptum, celerrime et optime illos, qui animum deficiunt atque exhausti sunt, affectione nervorum recreat.

Magnam vim hujus remedii volatilis ad corpus recreandum *Viterbi*[1]), voluntaria fame enecatus, ostendit, qui, cum jam mortem appropinquantem sentiret, sane per cochlearia quatuor vini assumti refocillatus, dies adhuc plures vixit. In illis hominibus igitur, qui incitantibus reficiuntur, systematis nervorum vis, per pharyngis vel ventriculi nervos excitata, alio modo atque restaurata agere mihi videtur; cum autem vinum roborare, non solum incitare constet, alimenta multa vero non incitent, a veritate etiam non abhorret, partes subtilissimas, ut jam dixi, nervos celerius nutrire, ut deinde vis eorum restituatur,

---

1821. Und: Illustrazioni fisiologiche e patologiche del sistema linfato-chilifero mediante la scoperta di un gran numero di communicazioni di esso col venoso, del Prof. *Regnoli Lippi*. Firenze, 1825.

[1]) *Horns* Archiv etc., 1823. 4tes Hft. p. 151.

debilitasque statim post cibum captum evanescat. Sic veram restitutionem nervorum systemate, aliarum sui ipsius actionum celeritate quoque insigni, celerius produci putamus; citiusque sane illa virium refectio perfici posse videtur, quam ad nostra tempora usque auctoribus visum est.

Restauratis igitur primum nervis, mox etiam aliis organis materia nutriente suppeditata evenit, ut debilitas evanescat.

Posteriori demum argumento jure opponitur, semper quandam corporis jacturam et animi debilitatem esurientem pati, et eo magis, quo minus valida sit corporis constitutio. Sic facile paulo ante coenam debilitas insueta, pallor, omnium partium turgor deminutus, ipsius animi vires languidae, morositas in debilioribus hominibus animadvertuntur.

Famem autem corporis partibus necessario nutriendis atque restituendis oriri, tandem morbis quibusdam, quos enumerabimus, satis apparebit. Homines, quibus pylorus laxatus, intestinorum tractus nimis brevis vel amplus, mesenterii glandulae obstructae atque inviae fuere, sicuti infans emacrescens, cui thoracicus ductus ruptus fuit, immodice ederunt. Ventriculus, cibis solummodo repletus, vires morbo gravi confectorum non refocillat, nisi concoxerit [1]). Et ceteroquin ex omnibus fere jamjam propositis, quibus famis sensus augetur vel imminuitur, hujus ortus satis superque demonstratur. Qui tandem argumento maximi momenti affirmatur, cum expertum habemus, famem, nequaquam expletam, prius vel serius mortem, alimenta vero longius saltem ac valde imminuta nutritionem exiguam ac vitiatam sequi. Victu exiguo sanguis non integer servatur, atque non renovatus organa perfecte alere nequit; sensim sensimque corpus macrescit, fluida corrumpuntur, malus corporis habitus, scorbutus exoriuntur, tandemque mors hominem emaciatissimum paulatimque destructum e vita rapit. Secatis horum cadaveribus, stomachus et intestina contracta et minus capacia, quam in viventibus inveniuntur [2]).

---

[1]) Diction. des scienc. médicales, T. XIV. p. 423.

[2]) l. c. T. IX. p. 370.

Plato et *Stahlius* [1]) causam vero proximam famis in conaminibus animae, corpus nutrimenti ope conservandi, ponentes, perperam corporis ejusque partium mutationes negligunt.

Hallero [2]) scribenti: „proxima famis causa, ex collectis animalium phaenomenis, videtur tritus esse, quando ventriculi nervosa juga tenui villosa crusta obducta, inque ventriculum pendula, super se invicem confricantur," opponi potest animalium plurimorum ventriculi tunicas molliores, et esurientium stomachum non semper ex toto contractum esse. Ventriculus, *Lucas* auctore, saepius aëre, aliis vero testibus, saltem ab initio alio humore impletus est, fluida et cibi vel minima quantitas famem jam tollunt, nec minus tabaci fumus. Appetitus initio etiam non dolores gignit; et durissimo victu nulla fames excitatur; quae omnia famem ex illa causa re vera oriri satis refutant.

Ventriculi vacui et contracti nervos compressos et hepate ac omentis tensos, musculosque lassatos ad hunc sensum provocandum non sufficere, jam plures confirmarunt, etiamque refutavere chemica ratione, famem oriri posse ex humorum alcalescentia, vel ex salivae aut succi gastrici accumulatione [3]), vel acore secundum *Helmontium*; vel e fermentatione reliquiarum cibi [4]), Contra *Girtannerum* [5]), contendentem, oxygenium, irritabilitatis principium in ventriculi non incitati succo gastrico accumulatum, fibrarum incitatione famem producere, *Lucas* [6]) bene monuit, chemicis tantum rationibus eam, quippe quae corporis organici phaenomenon sit, non explicandam esse; etiam huic sententiae repugnare opii vim, esuriem sedantem; demum unum idem-

---

[1]) l. c. p. 218. 222.

[2]) l. c. T. VI. p. 185.

[3]) Dict. des scienc. méd., T. IX. p. 370 seq.

[4]) *Haller*, l. c. T. VI. p. 186.

[5]) *Girtanner*, Abhandlungen über die Irritabilität als Lebensprincip in der organischen Natur. In *Grens* Journal der Physik 1791. 3. Bd. p. 315 u. 507 seq.

[6]) l. c. p. 116.

que esse aut rebus, quae concoqui nequeant, aut alimentis veris aliquis satietur. Ut taceamus de appetitu acidorum majoribus dosibus prostrato, modo adhuc succi gastrici apud esurientes defectum addamus, argumentum sane, quo commentum optime refutatur. Quod non minus refellit sententiam, quam edixit Cel. *Prochasca* [1]: famem ex acrimonia succi gastrici aucta istaque nervis incitatis ortum ducere, sicuti propositum, Illustr. *Hunteri* [2]) observationibus munitum, copia illius succi irritantis esuriem produci. Illustr. *Tiedemann* vero et *Gmelin* experimentis [3]), constat in animalibus mammalibus, avibus, amphibiis et piscibus, prout solidiora atque difficilius concoquenda sumant, majorem succi gastrici et quidem acidioris ventriculum secernere, cum autem jejunent, hujus parietes vix humidas esse. Ceteroquin hic fluidorum in ventriculo defectus Illustr. *Hunteri* observationibus genitam opinionem labefactat, qua erosio ventriculi tunicarum observata e succo corrodente pendeat; probat e contra, eandem putridae ventriculi dissolutioni post mortem tandem emergenti, quam fermentatio acida, succo forsan acido favente, antecedit, ortum debere [4]); emetica autem et absorbentia, vel nervorum affectione famem exstinguere, vel ad instar aliorum ingestorum solutu difficilium, non autem cum succum removeant.

Francogallis physiologis visum est, concoctionem una cum famis sensu ab actione nervorum vagorum dependere. Experimentis vero ab Illustr. *le Gallois*, *Wilson Philip*, *Nasse*, *Mayer* et *Lucas* institutis elucet, animalia, nervis jam secatis, nihilominus pabulum sumere [5]). Praeterea viri experientissimi *Breschet*, *Vavasseur* et *Milne Edwards* credunt, hos nervos praecipue ventriculi musculorum motui praeesse [6]), quod jam aliorum experimentis

---

[1]) l. c. p. 64 seq.

[2]) ***Treviranus***, l. c. IV. p. 347.

[3]) l. c. 1ster Bd. p. 296. 297.

[4]) ***Rudolphi***, l. c. 2ter Bd. 2te Abthlg. p. 119.

[5]) ***Lucas***, l. c. p. 118. 119.

[6]) ***Frorieps*** Notizen, 10ter Bd. Nr. 18 p. 273.

affirmari videtur. Nam *Braun*, *Arnemann*, *le Gallois*, *Wilson Philip* nervis secatis pharyngem et ventriculum praeter modum dilatatos et paralysi affectos observarunt [1]). Ipse Cel. *Arnemann* post nervorum discisionem animal voracius deprehendit, quocum autem Illustr. *Nasse* ventriculi dilatationem, hominibus nonnunquam obviam atque e nervis solutis ortam, comparat, addens: *Vogelium* expertum habere, tales aegros, quamvis interdum vomitu aliisque malis crucientur, appetitum ipsum bonum fere usque ad mortem conservare [2]). Illustr. *Tiedemann* et *Gmelin* nervos vagos mechanico aut chemico modo irritatos ventriculi musculorum contractiones movere viderunt, et praecipue ita agere credunt, ut succus gastricus, inprimis acidus, secernatur [3]); quae omnia probare videntur, hos nervos famis sensui percipiendo minime inservire, sed potius, qui e coeliaco ganglio orti, huic praeesse, quamvis illi sensu ex toto non vacent, atque sensus et motus nervi omnino non bene disjungi possint.

Cel. *Dumas* [4]) partium sanguinis nutrientium consumtionem et systematis lymphatici et praecipue ventriculi actionem adauctam proximam famis causam statuit, quae vero potius remotam exhibere videntur. Quomodo autem illa consumtio nervis ventriculi percipiatur hac ratione non apparet; narcoticis, spirituosis aliisque remediis, ab illo relatis, nervi afficiuntur, minime autem praecipue vasa lymphatica, atque hoc modo fames compescitur; actio lymphaticorum vasorum aucta et defectus succi gastrici, quae illi sunt argumenta, non causam famis exhibent, quam potius hanc sequuntur.

Inter omnes Illustr. *Treviranus*, ut mihi videtur, rem optime explicavit et scopum, famis definiendae fere attigit, quum famem et sitim non solis in ventriculi nervis incitatis, quam potius in quadam nervorum omnium sensibilitate alienata, ex sanguinis

---

1) *Horns* Archiv etc., 1818. 2ter Bd. 1stes Hft. p. 29 seq.

2) ibid. p. 30.

3) l. c. 1ster Bd. p. 339. 340.

4) *C. L. Dumas*, von den Ursachen des Hungers etc., p. 169.

mutata mixtione exorta, positas esse [1]) contenderet. Quam sententiam inter omnes minime a veritate recedere, his argumentis affirmare studeamus. Nervorum enim systemati, cum omni sensationi praesit, famis etiam sensus, qui, corporis ipsius conditionem sentiens atque observans, coenaestheseos modus exstat, addici oportet. Quod non minus remediis, nervorum sentiendi facultatem et una cum hac famem mutantibus narcoticis, spirituosis, camphora, mercurio sublimato aliisque confirmatur. Sic omnia etiam mala, quae nervorum systema infestant, et animi actiones diversae simili modo famem mutare valent. Nervos famem sentire ex ipsa periodica ejus manifestatione apparet, omnibus nervorum actionibus praecipue propria. Inter omnes hujus systematis perceptiones, sin etiam causa agere et incitare continuat, tamen intervalla libera, longiora vel interdum brevissima, intercedere constat; quod vero de omnibus doloribus, deliriis, sensationibusque dici potest. Fames non expleta si evanescit, hora tamen consueta, periodo cuidam obediens, redit, atque eo vehementius intermissionibusque brevioribus interpositis, quo magis restaurandi necessitas urget.

Postremum etiam pauxillum cibi assumtum, quo fames destruatur, nervos [2]) primum reficit, ipsaque, quae difficilius concoquuntur et pauxillum tantum nutrimenti praebent, hoc modo esuriem tollunt; tandemque ea, quae coqui plane nequeunt, mera nervorum affectione sensus impetum mitigare alias jam probare studui [3]). His vero rebus ventriculi nervis irritamentum quoddam praebetur, quod ad exercendam actionem poscunt; actio se manifestare potest, cum antea in esurientibus penitus quiesceret, et sola nervorum famem sentiendi facultas vigeret. Si nervi, et totius quidem systematis, hanc actionem participant sensibilitasque repellitur, evenit, ut fames actione mutata etiam destruatur, quo igitur elucet, has res, difficiles solutu, famem quidem compescere,

---

[1]) l. c. T. V. p. 446. 447.

[2]) p. 28.   [3]) p. 17.

non autem revera satiare posse. Forsan etiam agunt interdum simili modo atque res, quibus, uti nervorum actione suppressa, methodo sopiente, dolores atque aliae affectiones ingratae tolluntur.

Si vero haec omnia demonstrant, famem esse nervorum actionis phenomenon, quaeritur deinde unde veniat? quibus corporis mutationibus producatur? et quomodo in nervis gignatur? quae igitur quaestionem comparant de causa, quam dicunt proxima famis. Cum jam alias scripserim, hunc sensum intime cum elementis corporis deficientibus atque supplendis cohaerere, superest tantum, ut definiam, qualis sit conditio organorum, et quomodo fames ex partibus corporis non bene et satis nutritis oriatur. En vero res difficillima!

Illustr. *Treviranus* sanguine mutato sensum provocari credidit, et sunt nonnulla, quae huic sententiae favent, argumenta. Nam cibis incitantibus major succi gastrici acidi copia [1]), ex sanguine alcalino arteriarum ventriculi [2]), secernitur; nervorum vi autem acidam illius succi qualitatem oriri constat [3]). Quibus prodit sanguinem esurientis alium esse atque satiati, et vero non abhorret, nervos hanc mutationem percipere, cum eos plurimum ad succum acidum gignendum conferre, certum sit, quod autem partim de nervis vagis, praecipue vero de ramis nervi sympathici contenditur [4]). Post cibos assumtos sanguinem celerrime mutari deinde etiam ex *Fohmann* et *Lippi* experimentis constat, atque nervos eorumque coenaesthesin sanguinem mutatum sentire, probabili modo concludimus. Quae certe argumenta Illustr. *Treverani* sententiam quam maxime defendere videntur. Totus vero organismus animalis semper mutatur, partes ejicit, et si jam e materia, per abstinentiam mutata, vires, quibuscum intime cohaeret, quoque alienatas a priori concludi oportet, facile apparet sensum omnem et etiam coe-

---

1) *Tiedemann* und *Gmelin*, l. c. Ister Bd. p. 296.

2) ibid. p. 334. 336.

3) ibid. p. 340.

4) ibid. p. 340. 341.

naesthesin aliam esse ac satiato corpore. Quodsi experientia nos edocuit, corporis solida et fluida abstinentia, praecipue diuturniori, valde mutari, non minus credere licet corporis coenaesthesin minimum, jam illum incipientem, sensum hac ex mutatione ortum, percipere. Sed hac ex causa putare vellem non solius cujusdam partis mutationem famis sensum efficere, quam potius omnium, cum in ventriculo quidem collectus quasi appareat. Primum certe nervi ventriculi partiumque ei vicinarum sanguinis mutationem etc. sentiunt, quae Illustr. *Tiedemann* et *Gmelin* observationibus confirmata videtur; sed praeterea aliarum partium organismo inservientium rationem requiri oportet. Quarum vero conditioni in esurie mutatae ad amussim definiendae, vires meas impares esse, libenter fateor, sperans, scientiam posterorum his votis satisfacturam esse. Qua tandem ratione apparebit, quo nervorum sensatio consistat, quid illam moveat, et unde veniat coenaesthesis, omnesque ejus species, quo facto quaestio de proxima famis causa perfecte soluta erit.

Ab antiquis jam physiologis stabilitum est, inter famem animalem et naturalem discrimen intercedere, quarum haec quidem partium vasorumque in finibus horum inchoata exinanitio sit, quae hinc inde per majores ramos ad hepar, ab hepate ad intestina et ventriculum usque suctione quadam, nobis haud percipienda, propagatur. Animalem vero famem, molestum, a priori specie ortum sensum, qui ad assumenda alimenta admoneat, esse volunt. Siquidem hanc theoriam experientia teste carere *Bohnius* demonstravit [1]), egomet tamen credo, famem e partium digestioni primum inservientium, mutatione tam quantitativa, quam chemica et dynamica, ad alteras partes progrediente, exoriri, quae primo in ventriculo postea vero etiam per omnem coenaesthesin percipiatur. Non inepte igitur conditionem organorum corporis definitam, qua sensus proprius cietur, famem naturalem nominarem, sensum vero ipsum animalem.

---

[1]) *J. Bohnii*, circulus anatomico physiologicus, seu oeconomia corporis animalis. Lips., 1697. p. 124.

Famem hoc modo oriri verisimile quoque redditur, si perpendamus, eam nil esse, nisi manifestationem vitae ventriculi. Qui vero vivere nequit, nisi omnibus viventibus corporis partibus junctus, itaque harum omnium mutationum semper particeps fieri debet [1]), et sanguinis indole, circuitu, a respiratione, et ab actione nervorum, digestionem et famem, id est ventriculi viventis actiones dependere, facile intelligi potest. Nam depravatis horum organorum functionibus, nervorum et musculorum stomachi vires infringuntur, secernendi et coquendi facultas alienatur, digestio igitur et fames mutari debent. Respiratio vitiata, aër malus spiratus, sanguinis circuitus impeditus, febres igitur, inflammationes etc. sanguinis jactura, victus defectus, secretiones nimis profluentes, nervorum vitia, non minus famis sensum mutare et exiguum reddere debent, cum ventriculi nutritionem laedant, vitamque ejus debilitent.

IV. QUAE PHAENOMENA FAMES MOVEAT?

Praeter illas organorum digestionis mutationes, quae jam ab initio in conspectum veniunt, et supra relata sunt, ventriculi quaedam et reliquorum organorum phaenomena describenda supersunt, quae, inedia diutius perdurante, prodeunt, et quibus urgentibus organismus animalis postremum interimitur.

Fames tempore consueto non expleta, mox evanescit sensu quodam levitatis corporis atque animi moerore relictis. Proximo vero cibi sumendi tempore iisdem, sed vehementioribus phaenomenis urgens, redit. Ex incitabilitate aucta ventriculus contrahitur [2]) cujus peristalticum motum acceleratum esuriens ipse animadvertit. Attamen vires etiam post abstinentiam paululum protractam augeri compertam habemus, cum inter initia stomachus cibos celerius concoquit [3]). Quae vires vero nutritione,

---

[1]) *Tiedemann* und *Gmelin*, l. c. 1ster Bd. p. 337.

[2]) *Haller*, l. c. T. VI. p. 183.

[3]) *Hoppe*, l. c. p. 18.

totius organismi et ventriculi impedita mox debilitantur, superstite incitabilitate tantum mirum in modum exaltata, Molliores enim et lenes cibos, horumque parvum quantitatem, venter non recusat; quibus elucet, famem vehementem inedia confectorum non celerrime et perfecte semel satiandam esse, nam *Hallerus* [1]) animi deliquium, dolores, mortemque ipsam nimiam expletionem sequi posse asserit. Alii vero vomitum [2]), ebrietatis sensum [3]), tunicae mucosae intestinorum inflammationem [4]) et mortem repentinam, vel tamen tardius sequentem viderunt [5]).

In animum mirabili modo fames agit. Imaginatio, praesentiam plurium ciborum fingens, saporem delectare studet; saliva os implet cibumque supplenda devoratur. Ingravescentibus ventriculi doloribus animi cogitationes ad famem explendam omnes convertuntur, et nihil est, quod mentem perturbatam his contentionibus detrahere possit; ut victus quaeratur, musculi impelluntur, quo variis actionibus ansa praebetur. *Hallerus* [6]) et *Lucas* [7]) nos docent, animalia his angustiis coacta mox lutum, faeces et lapides vel lignum appetere et devorare. Notissimum quoque est famem feras ad saevitiam compellere, et homines contra fame ad animalia bruta mansuefacienda uti.

Ipsis hominibus esurientibus systematis nervorum et cerebri, mentis igitur actionem vehementer incitatam esse, vigiliae nec non alia quaedam phaenomena demonstrant. Inedia protracta, *Hallerus* [8])

---

[1]) l. c. T. VI. p. 183.

[2]) Freiwilliger Hungertod. *Hufelands* Journal 48ster Bd. 3tes St. p. 95 seq. ibid. 5ter Bd. 3tes St. p. 119. — *Stalpart van der Wiel*, l. c. cent. II. 15.

[3]) *Thornton*, über die Natur der Gesundheit und die Gesetze des Nerven- und Muskelsystems. A. d. Engl. von *Roose*. Götting. 1801. p. 439.

[4]) *Lucas*, l. c. p. 53.

[5]) *Haller*, l. c. T. VI. p. 183. — *Lucas*, l. c. p. 32.

[6]) l. c. T. VI. p. 182.

[7]) l. c. p. 32.

[8]) l. c. T. VI. p. 167.

scripsit: dolores non tolerandi nascuntur, mens celeriter emovetur, ut morositas primo atque mentis paene alienatio, et epilepsia, inde demum delirium, denique plenus furor superveniat, mortemque fere praecedat. Immo homines ad actiones crudelissimas fame suscitatos atque perductos fuisse scimus, ut amicus amicum, conjux conjugem, propriosque infantes tenerrimae matres devoraverint [1]). Sin homines necessitate vero superatos instinctui succumbere videmus, etiam exempla talium non desunt, qui sua sponte usque ad mortem abstinentes tranquilli et mente libera inediae torturas toleraverunt, atque demonstrarunt, hominem sua voluntate crudelissimam mortem perferre et omnem instinctum regere posse [2]). Contra autem nobis tradidit *Rush* [3]) Indos bellandi cupiditatem famis stimulo sibi suscitare, et de moribus ex paupertate et fame valde vitiatis, egregie disputavit. Quae omnia luculenter probant, animi actiones abstinentia prohiberi et turbari posse.

Corpus initio incitatum demum abstinentia durante frangitur, viresque exhauriuntur [4]). Sequuntur debilitas, languor, oscitationes, animi deliquium, virium et vocis defectio, corpus sponte moveri nequit, respiratio et sanguinis circuitus retardantur et languescunt, pulmones parum exhalant, et calor naturalis deprimitur. Pulsus arteriarum minimi et irregulares evadunt, facies simul pallescit, omnibus secretionibus et excretionibus in modo ac quantitate valde mutatis corpus fit levius, cum partes amissae non satis restaurentur. *Robinson* [5]) hominem quotidie

---

[1]) *Haller*, l. c. T. VI. p. 182. 183. — *Nicol. Tulpii*, obs. med. Amstelad. 1672. p. 78.

[2]) *Hufelands* Journal, 48ster Bd. 3tes St. p. 95. — Sammlung für practische Aerzte, 1ster Bd. 2tes St. p. 69. — *Nasse's* Zeitschrift für psychische Aerzte, Jahrg. 1819. 3tes Hft. p. 460. — *Horn's* Archiv etc., Jahrg. 1823. 4tes Hft. p. 149.

[3]) l. c. p. 25.

[4]) Höchst merkwürdiges Beispiel von 17tägiger Ausdauer des Lebens mehrerer Menschen, ohne Nahrung der Kälte und dem Meere Preis gegeben. *Hufelands* Journal, 25ster Bd. 3tes St. p. 116.

[5]) *Haller*, l. c. T. VI. p. 165.

quatuor, *Currie* [1]) per mensem centum libras, et *Lucas* [2]) cuniculum, porcellum vel sciurum per aliquot dies uncias plures amittere, observavere.

Regeneratione sanguinis nutrientis deficiente, corpus se ipsum quasi concoquit. Resorptione aucta incredibili celeritate primum adeps disparet, qui inter omentorum laminas, circa renes, sub cute jacet [3]). Non minus tela cellulosa absorbetur, simul cum omni humore, quod ex *Dumas* experimentis prodit [4]). Quae macie universali [5]), ossibus prominulis, atque abdomine complanato et contracto probantur [6]). Omnia haec resorpta, ut chyli defectus sarciatur, in sanguinem commutantur, qui sui restaurationem impetuosius poscit, quam organa, quibus alendis inserviat, nam vasis resorbentibus eorum substantia corrodi videtur [7]). Omnibus ad corpus alendum non diu sufficientibus sanguinis copia tandem minuitur [8]), nam venis magnis post mortem fere nullus inest. Imminutis demum ipsius globulis pallore lympham rubicundam aemulatur [9]). Quo facile apparet, circuitum tardius et minori cum energia fieri debere, quae pulsus exigui et rari etiam comprobant [10]). *Morgagni* et *Hallerus* [11]) adnotarunt omnium humorum sanguinisque acrimoniam vel levem putredinem gignere, illamque hominem interimere quamvis sanguis adhuc supersit, quod halitu foetente

1) *James Currie*, über die Wirkungen des kalten und lauen Wassers. A. d. Engl. von *Michaelis*. Leipzig, 1801.

2) l. c. p. 35.

3) *Haller*, l. c. T. VI. p. 165 seq. — *Sampson*, in den Ephem. Natur. Curios. dec. I. a. 3. obs. 173. — *Lucas*, l. c. p. 69 seq. — *Gerlach*, in *Hufelands* Journ. 10ter Bd. 3tes St. p. 189.

4) l. c. p. 164.

5) *Haller*, l. c.

6) *Lucas*, l. c. p. 31. 56.

7) Dict. des scienc. médic., T. XIV. p. 424.

8) *Haller*, l. c. T. VI. p. 166.

9) *Haller*, ibid. — *Hufelands* Journ., 10ter Bd. 3tes St. p. 188.

10) *Haller*, l. c. T. VI. p. 176. — *Lucas*, l. c. p. 36. 37.

11) *Haller*, l. c. T. VI p. 167. — *Morgagni*, l. c. epist. 28. p. 78.

tente, lactis et urinae acrimonia, nec non sanguinis e naribus, ventriculo, intestinisque plofluviis affirmare student. His vero *Lucas* [1]) experimenta op ponet, quibus putredo atque acrimonia negantur, et concludi oportet sanguinem animalium bene saturatorum post mortem prius, quam fame abreptorum, putrescere. Quibusdam fame vexatis et demum mortuis scorbutum saltem oriri posse, ex veterum et recentium observationibus probatum mihi videtur.

Musculorum compages pallescens et mollior resorbetur [2]) corpusque macrum non nisi ex ossibus cute obtectis compositum fere apparet. Quae omnia, simul cum cerebro, visceribus pectoris et abdominis collapsis, materiae organicae defectum ostendunt.

Secretiones, cum ad instar saturatorum profluentes jejunum mox interimerent, natura providens ab initio imminuit; et pulmonum absorptione aucta, cutis vero exhalatione imminuta corpus servare studet. Quarum priorem *Lucas* [3]) observationibus confirmavit, quae docent, urinae quantitatem humorem per os receptum copia valde superare; cutem autem nihil absorbere nisi epidermide vulnerata *Currie* et *Seguin* [4]) praecipiunt. Tandemque vero secreta, uti jam monui, humoribus semper denuo resorptis, acriora fiunt, vel alio modo mutantur, quo etiam nervorum actiones fame perturbatae quam maxime conferunt. Cum de pulmonum absorptione mentionem fecerim, superest, ut quaedam de spirandi necessitate minori, ex sanguinis circuitu et corporis reproductione retardatis orta, subjungam. Ex observationibus vero, quas *Sorg* [5]) in insectis et crustaceis, *Seguin* [6]) et *Percival* [7]) in hominibus in-

---

[1]) *Lucas*, l. c. p. 47 seq.

[2]) *Hufelands* Journal, 10ter Bd. 3tes St. p. 186. 188.

[3]) l. c. p. 46. 47.

[4]) *Currie*, l. c. p. 283.

[5]) l. c. Sect. I. p. 33 u. p. 161.

[6]) Mémoires de l'acad. des scienc. de Paris, an 1789. p. 572.

[7]) Manchester phys. and. philosoph. transactions. Vol. II. p. 303.

stituere, constat: jejunos aërem minus depravare et minorem ejus copiam quam satiati consumere, longiusque in aëre corrupto vivere posse.

Nec minus experientia novimus, calorem animalem mox esurientibus valde minui. Quod jam observatione, ab *Hallero* [1]) adjecta, historia a *Percival* narrata [2]), experimentis, quae *Lucas* [3]) instituit, exemplo *Viterbi* [4]), et quotidie, ut ita dicam, confirmatur. Saliva, nisi potu detracto sitis vehementer vexans accedit, ut *Bohnius* [5]) docet, copiosior et tenuior secernitur; quo auctore adspectu vel imagine ciborum nervi glandularum salivam secernentium stimulati id efficiunt. Cel. *Prochasca* autem illam tenuem et acriorem describit [6]).

Fame vexatis semper sitis fere intolerabilis fuit, et magis, quam cibi defectus sentiebatur. Quod luculenter ex humoribus prius resorptis explicandum, et femina sub nive sepulta [7]), mercatore sua sponte inedia confecto [8]), experimentis, quae *Lucas* instituit [9]), et duce *Balthasar de Sagan*, quem frater turri inclusum fame interfecit [10]), et Corsicano *Viterbi*, fame consumto [11]), satis confirmatur.

Alvi excretio inedia perdurante retinetur, faecesque nigrae durescunt [12]).

Urinae copiam animalibus esurientibus et sitientibus quotidie imminui, *Lucas* [13]) vidit; et adjecit

---

[1]) l. c. T. VI. p. 166.

[2]) *Thornton*, l. c. p. 439.

[3]) l. c. p. 38.

[4]) *Horn's* Archiv, l. c. p. 151.

[5]) l. c. p. 128.

[6]) l. c. p. 65.

[7]) *Duncan*, l. c. p. 501 — 503.

[8]) *Hufelands* Journal, 48ster Bd. 3tes St. p. 95.

[9]) l. c. p. 38.

[10]) Geschichte Schlesiens. Breslau, 1ster Bd. p. 295.

[11]) *Horn's* Archiv, l. c. p. 150.

[12]) *Haller*, l. c. p. 176. — *Lucas*, l. c. p. 39.

[13]) l. c. p. 40.

ibidem observationes aliorum quaedam, quibus comparet, urinas, assumta majori copia fluidorum, esurientibus copiosiores descendere.

Morgagni [1]) et *Hallerus* [2]) urinam acriorem fieri, foetidam et turbidam profluere, scripsere, quod *Currie* et *Gerlach* [3]) etiam contendunt. *Lucas* [4]) vero naturali et ab animalibus satiatis redditae similem invenit, inedia autem protracta pondus ejus specificum et urei copiam augeri, docet. Semel, post inediam sex dierum, urinam cuniculi gelatinae frigidae, ut jam alias legimus [5]), consistentiam exhibentem observavit.

Hallero [6]) edicenti: exhalationem cutaneam imminui, *Lucas* [7]) rationes opposuit, quibus nos credamus, eam augeri, adducat. Nam pulmonum exhalatione minori alvi urinaeque secessus ad quotidianam corporis jacturam metiendam et explicandam non sufficere ostendit.

Hallero [8]) libenter assentiam, si nobis tradit, lactis, seminis et puris nihil generari. Idem lac antiquum rancidum et bilem acerrimam [9]) fieri, et *Autenrieth* hanc viridescere [10]) dixerunt. Ulcera exsiccare nobis *Gerlach* quoque narravit [11]).

Feminis menstrua abstinentia longiori non provenire experientia probavit, quamvis *Forestus* [12]) puellae undecim annos, frustula casei quotidie as-

---

[1]) l. c. epistol. 28.

[2]) l. c. T. VI. p. 167. 182.

[3]) *Currie*, l. c. p. 259. — *Gerlach* in *Hufelands* Journal, 10ter Bd. 3tes St. p. 189.

[4]) l. c. p. 40 seq.

[5]) Dict. des scienc. méd., T. XIV. p. 424.

[6]) l. c. T. VI. p. 175. 176.

[7]) l. c. p. 44. 45.

[8]) l. c. T. VI. p. 165. 166.

[9]) ibid. p. 182.

[10]) Handbuch der empirisch menschlichen Physiologie. Tübing., 1802. 3ter Band. §. 1061.

[11]) *Hufelands* Journal, 10ter Bd. 3tes St. p. 183.

[12]) De inappetentia. Opera omnia. Francof., 1560. III. p. 143

sumta, conservatae et saltem aliquo modo menstruis purgatae, mentionem fecit.

Serpentes esurientes absque periculo mordent, quo *Hallerus* 1) affirmare studet, venenum non secerni.

Omnibus functionibus tandem debilitatis sanguinis profluvia, uti jam monui, nonnunquam supervenire, *Hallerus* 2) scripsit. Virium vitalium prostrationem magis magisque auctam demum mors sequitur.

Quam vero convulsiones, delirium, furor, stadium igitur maniacum, cruciatu summo exortum, antecedunt *Hallero* teste 3). Vasorum irritationem et convulsiones simili modo animalium fame necatorum obitum anteire *Lucas* 4) vidit, et stadium, per horam vel dimidiam durans, febrile nuncupare proposuit. Animalia prosternuntur, difficilius spiritum trahunt, pulsus frequentius, celerius et cum intermissionibus micant, oculi rigent, os spasmo aperitur, crurum et totius corporis musculi convelluntur. Sic *Morgagni* caniculam convulsam 5) et *Valsalva* 6) feminam spasmis conquassatam observarunt. Tactus sensum et auditum tum vero superesse *Lucas* credit, nam vellicationibus et sonibus iterum excitantur.

Proxime ante decessum musculi galvanicam irritationem, Cel. *Valli* 7) teste, non sentiebant.

Quodsi vero animus sua sponte interitum constituit, tum corpore placato, ut Cel. *Autenrieth* 8) bene monuit, et secretionibus, quantum debilitas et aqua assumta permittunt, perseverantibus, diem obeunt supremum sine antecedente irritatione, quae corpus animumque perturbet. Quiete incitabilitas accumulata mox evanescit, vi vitali languente tran-

---

1) l. c. T. VI. p. 166.

2) ibid. p. 167.

3) ibid.

4) l. c. p. 33.

5) l. c. epist. 28. p. 78.

6) ibid.

7) *Valli*, über den zerstörenden Einfluſs des Hungertods auf die Electricität. In *Göttlings* und *Hufelands* Aufklärungen der Arzneiwissenschaft. Weimar, 1793. p. 210.

8) l. c. §. 1061.

quillitas molestiis cruciato arridet, corpus emaciatur, ut in aliis morbis consumentibus, tandemque ex sola debilitate mors lenis sequitur, quam interdiu parva tantum imaginationis turbatio, doloresque leves intermittentes circa cor, ut *Viterbi* sentiebat, et tinnitus aurium praecedunt. Quae, qui pharynge praecluso moriebantur, probant. Facillime ita intelligere possumus, quomodo sua sponte esurientes usque ad mortem consilium servare potuerint.

Corpora vero mortua fame necatorum animalium et hominum, jam primo intuitu, ex adipe consumta, maciem universalem ostendunt, ubique ossium protuberantiis eminentibus junctam [1]).

Musculi pallidi, tenues et molliores fereque consumti apparent [2]). Porcelli et sciurorum duorum musculos nitidos et rubicundos post inediam plurium dierum *Lucas* [3]) invenit.

Canum fame necatorum adeps et humores ita disparuerant, ut observanti *Redi* [4]) viscera incredibili nitore fulgere visa sunt. Cui *Lucas* [5]) assentit.

Sanguinis vasa, plerumque contracta fereque exsanguia, deprehenduntur, quod *Diemerbroeck*, *Morgagni*, *Hallerus*, *Lucas* et *Gerlach* [6]) observationibus confirmant. Coagulatum, inprimis venarum sanguinem, *Morgagni* [7]) vidit, quem etiam in ventriculis et auriculis cordis et stomacho accumulatum describit. In ventriculum et intestina avium effusum fuisse narravit *Hallerus* [8]). *Gerlach* [9]) et *Lucas* [10]),

---

[1]) *Lucas*, l. c. p. 63. 69 seq. — *Hufelands* Journal, 10ter Bd. 3tes St. p. 188.

[2]) ibid.

[3]) l. c. p. 72. 75.

[4]) *Franc. Redi*, l. c. p. 140.

[5]) l. c. p. 72. 75. 82.

[6]) *Haller*, l. c. T. VI. p. 166. — *Morgagni*, l. c. Nr. 1. — *Lucas*, l. c. p. 72. 75. 82. — *Gerlach* in *Hufelands* Journal, 10ter Bd. 3tes St. p. 188.

[7]) l. c. Nr. 5.

[8]) l. c. T. VI. p. 167.

[9]) *Hufelands* Journal, l. c.

[10]) *Lucas*, l. c. p. 61. — *Haller*, l. c. T. VI. p. 166.

simul cum *Hallero*, quibusdam observationibus ostendere, sanguinem solutum et pallidiorem fuisse et lympham rubicundam aemulasse, quibus vero *Lucas* ipse ibidem contrarias de sanguine sano experientias opponit, atque clarissimi *Valli* [1]) descriptionem de immunitate sanguinis ab omni decompositione firmat. Hic vero etiam addidit, musculos galvanismi vi submissos nullas contractiones praebuisse.

Viscera deinde majorum cavitatum corporis mutationes describendas ostendunt. *Morgagni* [2]) cerebrum cuniculi mollius et flaccidum, ejusque medullam a cortice vix distinguendam vidit. *Gerlach* [3]) hominis sponte fame necati cerebrum simili fere modo mutatum observavit, corticem decolorem, medullam flavidam, ejus compagem laxiorem et sicciorem, totumque cerebrum collapsum, et a dura meninge, quae ab ossibus separata, longe remotum; in cerebri ventriculis et basi cranii aquulam flavidam congestam. Sinus angusti nihil sanguinis habuere; et *Pachioni* glandulas majores tumidioresque invenit. *Ballin* [4]) adnotavit, cerebrum melancholici cujusdam, fame spontanea mortui, praeter defectum humoris intra tunicas et in ipsis ventriculis, atque coagulatas quasdam partes albas in superiori et posteriori parte hemisphaeriorum, nullo modo a sano distulisse. *Lucas* [5]) quorundam animalium piam matrem tantum sanguine magis repletam vidit.

Nisi organorum thoracis jam alius morbus antea adfuerit, fame, praeter humorum absentiam, nulla mutatio morbosa in his generari posse videtur. *Lucas* solummodo addit [6]), internam oesophagi tunicam spissiori et viscidiori humore obtectam se observasse, aviumque ingluvici internam faciem valde

---

[1]) l. c. p. 215.

[2]) l. c. Nr. 5.

[3]) *Hufelands* Journal, l. c. p. 188

[4]) *Nasse's* Zeitschrift für psychische Aerzte, Jahrg. 1819. 3tes Hft. p. 460.

[5]) l. c. p. 82.

[6]) l. c. p. 70. 71. 73. 75.

inflammatam invenisse [1]). Praecipue vero abdominis viscera corripiuntur, quippe quae primum inedia afficiuntur. Ut taceamus ex *Hippocratis* opinione falsa, tunicas intestinorum inter se conglutinari, hominemque igitur septimum diem plerumque non supervivere posse, si victu orbatus fuerit; atque si superaverit, hac de causa attamen mori debere [2]). Quae omnia experientia refutavit.

Ventriculum, nisi quid ante mortem in ipsum ingestum vel effusum fuerit, insigniter coarctatum observarunt *Hallerus*, *Gerlach*, *Ballin*, *Dumas*, ipse Illustr. *Magendie*, et *Lucas* [3]), Illustr. *Tiedemann* et *Gmelin* [4]). Longissima vero et strenuissima inedia maxime contrahitur, non vero penitus coarctatum eum videre licebit, si quid absumatur [5]), vel effundatur, ut sanguis, aër, quem *Lucas* semper in regione cardiae invenit, sic ut stomachum globuli speciem accepisse, asserat [6]). Quod etiam in amphibiorum et avium ventriculo, peculiaris ejus structurae causa, minus apparebit. Quo acerbior abstinentia fuerit, eo magis ventriculus quoque situm mutaverit, sic ut hypochondrium sinistrum versus spectet, quod idem *Lucas* adjecit. *Gerlach* [7]) demum ventriculum omni vitio vacare, et succo albo lentoque expletum observavit; Cel. *Autenrieth* [8]) autem praecipue circa cardiam inflammationis praegressae signa animadvertit, et ventriculum succum ex rubro fuscum continentem. *Dumas* stomachum omni humore destitutum invenit [9]). Plurimorum animalium, quae *Lucas* post inediam breviorem vel longiorem

1) l. c. p. 62 seq.

2) *Hippocrates* de carnibus s. principiis liber, cap. VIII.

3) *Haller*, 1. Tom. C. VI. p. 183. *Gerlach*, l. c. p. 189. *Ballin* in *Nasse's* Zeitschrift, l. c. — *Dumas*, l. c. p. 161. — *Magendie*, Physiologie, l. c. p. 25 seq. — *Lucas*, l. c. p. 60. 61. 69. 72. 74.

4) l. c. 1ster Bd. p. 143.

5) *Lucas*, l. c. p. 61. 70. 74. 75. 76.

6) ibid. p. 77.

7) l. c. p. 189.

8) l. c. §. 1061.

9) l. c. p. 164.

secavit, ventriculos lenta et viscida pituita et bili expletos reperit, non semper vero eo minori copia, quo longior fuit abstinentia [1]), quod de pituita Illustr. *Magendie* contendit [2]).

Hallerus [3]) inedia confecti ventriculum et intestina inanissima, absque ullo stercoris vestigio, sola bile expleta, quod rarissimum, vidit. Omnia vicina viscera bile colorata, quod etiam *Gerlach* [4]) invenit, qui vero intestina ex fusco nigra, gangraenosa, S. romanum et rectum faecibus nigris et duris completum, ut alii auctores, observavit. Inedia protracta *Lucas* quoque observationibus confirmavit, faeces duras nigrasque propter secretionem deminutam, retineri [5]), duodeni partem vero ventriculo proximam plerumque inflammari. Ceteroquin addit, duodenum aliquantulum situm mutare, intestina tenuia collabi, succum viscidiorem, et praecipue bilem hepaticam, parum autem vesicalem, continere.

Quod attinet ad hepar, lien, et pancreas, idem auctor monuit, haec viscera non semper longa abstinentia mutari [6]). Si *Gerlach* hepar induratum, album nigrisque maculis pictum, et lien mollior et nigrescens vidit, hoc certe ex morbo alio ortum duxit [7]), quod etiam de tuberculis hepatis animalium, quae *Lucas* detexit, dici potest. Hic quoque contendit, sanguinis copiam, quam ventriculus contractus recusat, non hepar et lienem, sed quidem potius omenta accipere.

Plurimi quidem auctores, quamvis non semper, omentorum adipem consumtam observarunt. *Ballin* vero et ipse *Hallerus* abstinentia necatorum omenta multum adipis continentia viderunt [8]).

Boerhave, *Morgagni*, *Hallerus*, *Mondini*, *Bianchi*, *Sa-*

---

[1]) l. c. p. 78.
[2]) l. c. p. 26. 27.
[3]) Opuscula pathologica, obs. 24.
[4]) l. c. p. 189.
[5]) l. c. p. 79. 80.
[6]) l. c. p. 81.
[7]) l. c. p. 189.
[8]) *Ballin*, l. c. — *Haller*, opusc. pathol. obs. 24.

batier et *Boyer*, *Gerlach*, *Ballin*, Illustr. *Tiedemann* et *Gmelin* [1]) fellis magnam copiam observarunt; si *Lucas* eam plerumque adesse consentit, tamen contendit, non pro longiori inedia magis accumulari. Nigrescere vero eo magis, quo longior abstinentia, etiam dixit [2]).

Secatis cadaveribus viscera nitorem phosphoricum spargentia interdum observare licuit [3]).

Gerlach scripsit: hominem, decubitu gangraenoso laborantem et fame spontanea necatum, jam quatuor septimanas ante obitum odorem putridum et cadaverosum sparsisse [4]), deinde mox putredine solutum fuisse. Si *Morgagni* [5]) etiam credit, hoc modo cadavera solvi, alii vero corpora fame interfectorum putrefacta, non autem soluta sed exsiccata describunt [6]). Alii tandem, ut Clar. *Valli* et *Lucas* [7]), illa cadavera exsiccata serius destrui probavere, quam alia non fame necata animalia.

---

[1]) *Boerhave*, praelect. acad. ed. *Haller*, T. I. §. 98. — *Morgagni*, l. c. epist. 28. Nr. 5. — *Haller*, opusc. pathol. obs. 24. — *Bianchi*, *Sabatier* et *Boyer*, Alessandrini bei *Mondini*: über den Eintritt der Galle in den Darmcanal etc., in *Meckels* deutschem Archiv für Physiologie, 7ter Bd. p. 459 seq. — *Gerlach*, l. c. p. 189. — *Ballin*, l. c. — *Tiedemann* und *Gmelin*, l. c. 1ster Bd. p. 91, 92.

[2]) *Lucas*, l. c. p. 81.

[3]) Dict. des sienc. medicales. Art. Digestion et Faim.

[4]) l. c. p. 185.

[5]) l. c. epist. 28. Nr. 6.

[6]) Dict. des scienc. medicales. Article: Faim.

[7]) *Valli*, l. c. p. 215. — *Lucas*, l. c. p. 82.

VITAE CURRICULUM

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUM.

Ego, Ferdinandus Guilelmus Adolphus Kindscher, die tricesimo mensis Aprilis A. MDCCC Fristadii, oppido Silesiae inferioris, patre aurifice natus et evangelicae confessioni addictus sum. Scholis patriae urbis usque ad annum decimum sextum omnibus literis, studio medicinae necesse habitis, assiduitate maxima imbutus, anno millesimo octingentesimo decimo sexto in institutum regium medico - chirurgicum, quod Friderici Guilelmi nomine inclaruit, receptus sum. Hic per quatuor annos omni studio et maxima diligentia addiscendis medicinae et chirurgiae disciplinis incubui, et studiis peractis in nosocomium caritatis missus sum, qui per annum practicis ibidem interessem exercitationibus.

Per studiorum meorum tempus Professores celeberrimos audire contigit; in philosophicis Beat. Kiesewetter, in botanice et rerum naturalium historicis, nec non physicis atque chymicis interpretationibus Illustr. Link, Illustr. Lichtenstein et Cel. Turte; anatomiam universam ac artem corpora mortuorum incidendi Illustr. Rudolphi et Illustr. Knape me docuerunt. Physiologiam Illustr. Osann, pathologiam generalem et semioticen Illustr. Fr. Hufeland, mihi tradiderunt; sic Illustr. Horn pathologiam specialem. In pharmacia Cel. Turte; in materia medica Illustr. Osann, in toxicologia Illustr. Link, et in arte formulas medicas scribendi Illustr. Knape me instituerunt. Ex praelectionibus Illustr. C. G. Hufeland, nec non Illustr. Fr. Hufeland therapiam generalem et specialem hausi. Etiam institutionibus de cog-

noscendis et curandis morbis syphiliticis Illustr. HORN interfui. Nec minus Generos. DE GRAEFE et Beat. MURSINNA, perinde ac Illustr. RUST et Illustr. KLUGE omnibus de chirurgia, et Illustr. KLUGE de arte obstetricia lectionibus. Tum institutiones clinicas Illustr. C. G. HUFELAND et Illustr. NEUMANN, atque Illustr. RUST frequentavi; doctrinam de medicina forensi ab Illustr. KNAPE accepi, quorum virorum gratam memoriam nunquam ex animo meo demittam.

His studiis absolutis ad exercitum regis nostri clementissimi, nomine chirurgi Stettinum, ad legionem tormentariam secundam missus sum, et post annum et dimidium me Sundiam, ad cohortem tertiam illius legionis contuli, ut vacuo muneri praeessem. Annis duobus et dimidio elapsis Potsdamium revocatus chirurgorum legionis praetorianae numero adjunctus sum; eodem tempore vero iterum completo, Friderici Guilelmi institutum me medicum exercitus superiorem recepit.

Tentamine et examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque palam defensis, summi medicinae et chirurgiae honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Calor animalis praecipue a nervorum vi pendet.

II.

Ophthalmia sic dicta aegyptiaca non est inflammatio.

III.

Causa proxima febrium intermittentium in nervorum actione alienata quaerenda est.

IV.

Atmosphaera nervorum sensibilis non exsistit.